decimo a, quod equidem sciam, *veritatem* numero mul- A titudinis nomen reperietur: *Diminutæ sunt veritates à filiis hominum*. Ubi Hieron. quoque versio habet: *Imminuti sunt fideles*. Lege commentarium nostrum.

Profectò verbum *requirendi* quod nihil refert, in præsenti ne, an in futuro legas, magis indicat investigationem, atque dijudicationem veritatis, & causæ, sive controversiæ inter plures. Nisi velis *requirere* per Metalepsin esse amplecti, & numerari, ita ut *requirere* intelligatur *veritatem Dominus* in eo, in quo est, ut approbet, præmioque afficiat. Id ex antithero sequenti confirmari potest de retributione facienda superbis. Alioqui utrumq; verbum ἀδιάφορον est ad bona, malaque. Nam *requiri* dicitur *sanguis* idest, cædes ab alio, quo facta, vel mors, ac interitus alicujus culpa secutus b.

Retribuet.) Hujus etiam verbi exempla sunt in utroque genere tùm bona, tùm mala. Ad secundum genus, quia de priore magis constat, præsens pertinet locus. Et in Psalmo CII. c. *Neque secundùm iniquitates nostras retribuet nobis*; & in CXXXVI. d: *Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis*, & in septimo e: *Si reddidi retribuentibus mihi mala*; cujus loci Commentarium lege.

Abundanter facientibus superbiam.) Hieron. *His qui satis operantur superbiam*. Alii, *propter superbiam*, vel *pro superbia*, *facienti superbè*, idest, prout quisque superbè se gerit in hac vita, sic retribuit illi Dominus. Psalterium Romanum, & Ambrosianum, & Augustin. Arnobius, Cassiodorus: *Retribuet his, qui abundanter faciunt superbiam*. Hoc ultimo modo, & secundùm Hieronymi versionem, *abundanter* jungitur cum *facientibus superbiam*, quod etiam exigit interpretatio Græca, Ἀνταποδίδωσι τοῖς περισσῶς ποιοῦσιν ὑπερηφανίαν, Hebr. משלם על יתר עשה גאוה *meschallem hhal tether hhoseh gaavah*, ubi על יתר *hhal iether* potest significare *super excessum*, sive *abundanter*, & necti cum משלם *meschallem*, *retribuens*, tùm cum עשה *hhosech*, *facienti*; vel *pro superbia*, & *propter superbiam*, verum esse, videlicet sermonem esse de iis, qui in superbia nimii sunt, & quorum *superbia*, & *arrogantia*, & *indignatio plus-* C *quam fortitudo* eorum est, ut hoc etiam loco f Thomas notat. Et quidem qui lacessiti referunt injuriam, & superbiam (quæ pro injuria sumitur) in ea veluti mensura, in qua acceperunt, videntur nonnulla venia digni, maximè juxta talionem in vetere permissam lege g: at ultrò injuriam inferre, & in referendo modum transilire, nimis magnæ superbiæ est, quæ meritò provocet vindictam Dei.

Basilius, Theodoretus, Nicephorus, Euthymius, hac ipsa ratione declarant, videlicet Deum utcumque ferre modicè superbos illos; qui ultra modum sese, efferant punire, ac insigne de iis exemplum edere. Confirmari exemplis multis id potest, in Lucifero, Adamo, Gigantibus, Pharaone, Nabuchodonosore, Antiocho, &c. Alius aliquorum recentiorum sensus, ut Campensis, Eipencæi, Ariæ, Genebrardi, Folengii, quibus favent Hugo Cardinalis, Lyranusque, ut Deus ipse retribuat *abundanter his, qui faciunt superbiam*, videtur nonnihil repugnare pietati Dei, quem Theologi trito illo suo axiomate asserunt punire etiam in inferno citra condignum: sicut munerat in cœlo ultra condignum. De hoc D axiomate legendus Gabriel Vasquez in primam secundæ h, contra Andream Vegam i, qui negat. Indicat illud axioma nomen copiosæ mercedis k, mensuræ bonæ confertæ, coagitatæ, supereffluentis l: præfectura, super decem civitates, ei qui lucratus erat marcas decem, data, ac insuper una, quam piger in sudario reposuerat m: denarius diurnus datus novissimis sicut primis, quum hi plus laborassent, non ex pacto, sed ex liberalitate n: tandem quia Paulus o negat esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam. Docere id etiam videntur Basilius p, Hilarius q, Fulgentius r, Ambrosius s. Fatendum tamen, ista non aliud efficere necessariò, quam excellentem esse mercedem supra conditionem operum nostrorum, secundùm se spectatorum, non verò ut habent condignitatem à gratia; parabola autem de operariis pertinet non ad præmium, sed ad primam gratiam. Alia ex parte dici solet, daturum Deum cuique secundùm opera sua*, & de suppliciis, quod reddendus sit ultimus quadrans t, & quod quantum quis glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum dandum sit tormentum, & luctus u, & quod pro mensura peccati erit, & plagarum modus x. Quamquam videri etiam posset, in parabola de novissimo quadrante quod dicitur, non debere applicari ad id, quod intenditur, quod est solùm, ut persuadeatur fraterna reconciliatio cum eo, quem offenderis; ut evadas judicium Dei. Locus item Apocalypsis, & Deuteronomii posset intelligi de pœna, quæ culpæ quantitati respondeat. Nihilominus non est recedendum à communiore sententia, quam, quod ad supplicia pertinet, satis innuit Chrysostomus y, & Augustinus z, & citata loca pro illa probabiliora sunt, quam pro contraria: nec enim excessus negatur in præmio, vel defectus in pœna, cum dicitur habenda ratio meritorum, atque demeritorum.

Attamen possemus interpretari, abundantem punitionem esse judicio hominum, qui numquam sibi tantam, tamque acerbam persuadere potuissent; sive quia nemo potestatem iræ Dei dinumerare novit a, etiam qui justus est: sive quia improbi, & iniqui sibi fingunt, existimantque Deum similem sibi b, & idcircò nimis indul- B gentem, lentum, remissum in castigando: quum autem desævire vident Deum, quod in superbos præsertim, facit, quibus resistit c; tùm verò crudelem quoque, sævum, injustum accusant. Diceret quoque aliquis *retribuere abundanter*, idem esse quod sufficienter, &, ut explicat Lyranus, debitè, & ut Hugo Cardinalis, eo modo quo in Apocalypsi d dicitur, (duplicando duplicia secundùm opera,) in Osea e, ut *respondeat arrogantia in facie arrogantis*.

Nec respuendus omninò alius sensus, ut dicatur Deus *retribuere abundanter* על יתר *hhal jether*, *super residuum*, idest, iis, qui è superborum gente supererunt, *reddendo iniquitatem patrum in sinum filiorum post eos* f, *usque in tertiam, & quartam generationem iis, qui oderunt Deum* g. Quid si etiam על יתר *hhal jether* dicas *super nervum*, sive chordam, & arcum, & exponas, Deum superbis resistere intentis validè contra illos sagittis? Quid si prætereà *super fune*, aut *cum fune*, idest, cum mensura illorum superbiæ C debita, vel *per funem*, qui laqueus est? Nihil incommodi continent hi dicendi modi. Cajetani expositio planè paradoxa, & singularis, qui sic vertit *Retribuens super superfluum, faciens superbiam*, ut significetur, Deum præmia rependere cum magno, & ineffabili super excessu, nempè superfluè, & faciendo superbiam: non enim, inquit, superbia, semper sumitur in malam partem, sed quandoque in bonam pro magna excellentia; ut apud Isaiam h: *Ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem, & generationem*. Juvaret Cajetanum numeri singularis participium עשה *hhoseh*, & vulgò dicunt, rem eximiam cum fastu, & superbia fieri: & *superbæ opes* i sunt maximæ, unde scilicet superbire quis posset. At nimis aberrat à reliquis: è quibus absque cunctatione primus optimus.

Viriliter agite, &c.) Vigesimi sexti Psalmi versus ultimus penè idem: ex illo pete quæ hujus intelligentiæ serviant. Opportunum verò monitum. Quidni enim, si amant, ut facere ante inducti sunt, & sperant, bonum, fortem, constantem animum gerant? *Diligentes* D *Deus diligit* k: *Si ille pro nobis; quis contra nos* l? Respondet clausula principio: quia qui sperans *non confunditur* m, fiducia roborat animum suum. Audivit quod retribuet Dominus: vellet hìc, ac etiam citò id fieri; dicitque fortassis, ut ait Augustin. O si modo retribueret, modo eos volebam videre humiliatos, atque prostratos idcircò subditur adhortatio ad patientiam.

Viriliter agite.) Inter obedientiæ gradus quintum Bernardus numerat n, ut viriliter obediatur, nec ab obedientia quisquam ulla re difficili abduci se sinat.

Omnes qui speratis in Domino.) Hic, & ubique quum de spe sermo incidit, pono falsam esse Scoti o sententiam & Durandi p, posse nos firmiter sperare per solam spem acquisitam. Lege B. Thomam q & Cajetanum r, qui Auctores illos hoc nomine refellit: quamvis aliqui s eos intelligant loqui de actu tantùm imperfecto, non autem Christianè, & aptè ad obtinendam justificationem: sicut & de actu fidei Durandus idem, cum idem tradit, exponendus videtur.

Canon unus Tridentini Concilii t est: *Si quis dixerit hominem sine Spiritus sancti gratia, & ejus adjutorio posse credere, sperare, & diligere, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: anathema sit*: Tradit prætereà a, in justificatione infundi divinitus fidem, spem, charitatem. Scolastichè hoc alias tractavimus.

Marginalia (p. 416): a v. 1. — b Gen. 9. 5. Ezech. 3.18. 26 c. 33.6.8, & alibi. — c vers. 10. — d vers. 8. — e vers. 5. — f Isa. 9. 6. — Superbia pro injuria. — g Exod. 21. 24. — Theologorum axioma. — h Disp. 215. c. 4. — i Q. 5 de Justificat. — k Mat. 5.12 — l Luc. 6. 38. — m infra 19. 17. & seq. — n Mat. 20. 12. & seqq. — o Rom. 8.18. — p In Ps. 114. — q in Ps. 51. — r Ad Monim. — s In Ps. 43. — * Rom. 2. 6. Ps. 61. 13. — t Mat 5 26 c. 18. 34. — u Apoc 18 7 — x Deut. 25.2 — y Hom. 27. in Genes. — z De Civ. 21. — a Ps. 89.11.12 — b Ps. 49.21. — c Jacob. 4 6. Prov. 3. 34. — d c. 18. 6. — e cap. 5.5. — f Ier. 32.18. — g Exod. 20.5 — paradoxa Cajetani expositio. Superba in bonam partem. — h c. 60. 15. — i Prov 18.18. — k Prov. 8.11 — l Rom. 8.31. — m Eccl. 2.11 Rom. 5. 5. — n Serm. de Obed. et gradibus ejus. — Obedientiæ gradus quintus. — o 1. Di 26. & 3. D. 17. — Scoti et Durandi refutata sententia. — q 3. D. 26. — q 22. q. 17. — r Ibid. — s Gregor. de Valen. T. 3. Disp. 1 q. 1 punct. 1. — Canon Concilii Tridentini. — t Sess. 6 can 3. — a cap. 7.

PSALMUS VIGESIMUS PRIMUS.

1 Ipsi David intellectus.

Beati, quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.

2 Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.

3 Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.

4 Quoniam die, ac nocte gravata est super me manus tua conversus, sum in ærumna mea, dum configitur spina.

5 Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi.

Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

6 Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.

Verum tamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

7 Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me.

8 Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos.

9 Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.

In camo, & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

10 Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

11 Lætamini in Domino, & exultate justi, & gloriamini omnes recti corde.

TITULUS.

Vers. 1.) Ipsi David intellectus.

Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

Vers. 2.) Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.

Similis in aliis prætereà Psalmis Titulus 41. 43. 44. 51. 52. 53. 54. 73. 77. 88. 141. Sed in hoc, & in 51. quique postea positi sunt, Græcus genitivus est συνέσεως in aliis εἰς σύνεσιν: Hebraicè autem in omnibus משכיל *maschil*. Quo fit, ut sicut de nonnullis aliis titulis, priùs annotavimus, non sit *maschil* vel nomen primum in cantilena, ad cujus exemplum hi Psalmi canerentur; vel instrumenti musici quo pulsarentur: Alioqui Lxx. nomen idem Hebræum retinuissent, aut eodem absque modo vertissent, nec dixissent, *intellectus*, sive in obliquo *Psalmus intellectus Davidi*, A aut, *Ad intellectum Davidis*, sed, quod attinet ad instrumentum, si id hoc loco significaretur, *super maschil*, *in maschil*, &c.

Ergò *maschil* σύνεσις, *intellectus*, & ut Hieron. reddit, eruditio, aliqui, *erudiens*, vel, *intellectum præstans*, Chaldaicè שכלא *sicla* propriè sumi debet pro *cognitione intellectiva*, quam David peculiariter, aut accipiat, aut tradat, aut utroque modo, aut quam necesse sit habere illum, qui velit hos Psalmos percipere, aut quam cantor, psaltesve ex canendi, ac psallendi modo magis apto ad intelligendum auditoribus, accuratiùs, nempè psallendo sapienter b משכיל *maschil* συνετῶς ingenerare debeat. Quare quum adeò multis Psalmis Titulus communis hic sit, generalem quoque illius oportet esse caussam; & idcircò, quod in isto Psalmo dicatur c dandum intellectum, ne efficiamur sicut bruta, quibus non est intellectus d, non potest esse Tituli sufficiens, ratio, quam affert Innocentius III. & alii e quum nihil tale sit in aliis Psalmis, Titulo eodem insignitis. Etsi fatendum est, sicut insipientia est peccatum f, ac ignorantia g, ita B sapientiam censendam, & intellectum, pœnitentiam: tùm verò si, quod accidit Davidi, de peccato condonato certior fias per divinam revelationem: quam Tituli rationem in hoc Psalmo Lyranus dat. Cum qua ratione, & illa concurrit à Toleto, & aliis tradita, quod suo nos exemplo, verbisque David docet, utens etiam verbo שכל *schachal*, אשכילך *aschichlecha*, quod tamen prætereà & in Psalmo quinquagesimo facturum dum polliceturr facit re ipsa h, *Docebo iniquos vias tuas*, &c. licèt ibi sit אלמדה *alammedah*, Nimirùm erudimur in isto Psalmo nil æquè beatum nobis in hac vita contingere posse, quam remitti peccata benignitate Dei: nihil perniciosiùs, quam peccata occultare, quum eorumdem confessio sit unicum remedium: nullam esse tantam aut gravitatem, aut multitudinem peccatorum, quæ nequeat confessione deleri: malorum, bonorumque ingenia diversa, progressus dissimiles, exitus dispares esse. Solent Hebræi cognominare istum Psalmum לב *leu*, idest, *cor Davidis*, quasi plenum scientia, & eruditione Davidis.

C Agellius i benè comprobat generalem illam tituli caussam de canendis psallendisq; appositè ad intelligendum, & distinctè, Psalmis, ex Levitis, ad quorum cor Pararalipomena k testantur, tamquam *habentium intelligentiam bonam* המשבילים שכל טוב *hammaschilium sechel tou*, τῶν συνιέντων σύνεσιν ἀγαθήν, locutum esse Ezechiam.

Porrò Augustinus in prima enarratione habet: *Ipsi David intelligentia*; in secunda: *Huic David intellectus*. In aliquot codicibus Græcis, ut in Complutensibus, Regiis, &c. & apud Thodoretum, ac Euthymium ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ συνέσεως, Psalmus *ipsi David intelligentia*.

ARGUMENTUM.

D Jam verò de Psalmi hujus argumento constare satis ex dictis potest: deplorat enim pœnitens David peccata sua, & impœnitentiam præcedentem, quæ duravit ad tempus: eadem peccata confitetur: remissa gratulatur: petit ut à tribulatione liberet Deus, quæ supererat post remissa peccata, & ne relabi permittat Deus: hortatur ceteros ne more brutorum, & exemplo suo (innuens gravem aliquem morbum) stimulis, ac flagellis compelli velint ad benè agendum, & pœnitendum: sed liberè libenterque id faciant, vel propter inenarrabilem lætitiam, quæ ex rectè factis provenit.

Secundus hic de pœnitentialibus Psalmus est; de quibus dictum Psalmo sexto, qui primus in septem collocatur; quamvis fortassis prior huic assignari locus posset, in quo primum pœnitere David cœpisse videtur, ut dixi, post novem nempè, minimum, decemve menses, quia nato jam filio ex adulterio, à Nathan reprehensus est l. Athanasius ad Marcellinum, jubet recitari Psalmum istum, vel, si cujus beatitudinem deprædicare velimus, ut sciamus quomodo id oporteat fieri, & de quo, & ad quem ea verba dicenda sint; vel quando conspicimus baptizatos, & liberatos à corru-

Marginalia (p. 417): Tituli aliorum Psalmorum quum hoc similes. — b Ps. 46. 8. — c vers. 8. — d vers. 9. — e Euseb in Ps. 41. Theod. in Ps. 73. & 88. Euthym. hoc loco & Athanasius, Nyssenus Tract. 2. in Ps. c. 3. Latini quoque, & aliqui Hebræi. — f Ps 37.6. — g Ps. 18.13. — h vers. 15. — Cognominatio hujus Psalmi ex Hebræis. — i In Præfat. — k lib. 2. 30. 32. — Secundus hic de Pœnitentialibus psalmus — l 2. Reg. 12. — Recitatio hujus psalmi ab Athanasio imperata.

ptibili nativitate, admirando Dei in homines humanitatem. Ad idem propositum Paulus a profert ejusdem Psalmi testimonium, ut probet justificationem non ex operibus legis, sed ex fide, gratiaque contingere: quo utroque tùm Pauli, tum Psalmi abutentes testimonio, sicut & nostri temporis faciunt Hæretici, & hic, & pluribus locis Augustinus, aliique confutant, quod suo etiam tempore præstabimus.

a Rom. 4. v. 7. & seq. — Ex hoc Psalmo quid probet Paulus. — Hujus Psalmi & Pauli testimonio abutentes.

Edidit super hoc Psalmo Alphonsus à Castro homilias viginti quatuor, Toletus noster quindecim sermones, præter tot alios omnium Psalmorum, vel propriè septem pœnitentialium, tractatores; ut Gregorium I. Innocentium III. Albinum, & de recentioribus Gulielmum Pepinum, Didacum, & Petrum à Vega, Gabrielem Burrellum, Joannem Novilleum.

Beati quorum, &c.) Primus hic post primum Psalmum inchoat à beatitudine. In primo Psalmo beatus dicebatur expers penitùs peccati, quæ beatitudo solius Christi absolutè propria est; quia mater ejus quod non contraxit, potuit, ac debuit, nisi præveniretur, peccatum contrahere: altera beatitudo hic exponitur, à jam contracto peccato, ejusve etiam debito, aut à commisso liberari. Etsi porrò absolutè majus innocentiæ beneficium, tamen dulcius veniæ: quemadmodum nemo meliùs novit, quàm dulcis sit sanitas, atque is, qui amissam, quam deflevit, recuperat: nec tam jucundè potitur quis bono præsenti, quam avidè concupiscit à malo contrario liberari, & illud iterùm bonum nancisci.

Eadem hujus Psalmi inchoatio cum pr. mo. — Innocentiæ majus beneficium; veniæ dulcius.

Prorumpens ergo David pœnitens in exclamationem, & prædicationem indulgentiæ divinæ, felices nominat, quos, postquam peccaverint, Deus non despiciat, sed illius excitati gratia, & per pœnitentiam conversi, obtineant remissionem, ita ut nusquam appareant peccata ante conspectum, & cognitionem Dei, qui, si superessent, ea procul dubio cerneret. Præterea censet beatos, quibus nihil inest, quod imputari meritò queat à Deo ad peccatum, qui rectissimè de rebus omnibus judicat: nec solùm non peccaverunt opere, sed nec dolo, id est, verbo, aut cogitatione, ita ut post deletum illud peccatum aliena voluntate contractum, quod vocant originale, non sint permissi ullum aliud mortale propria voluntate committere, quod est remissionis genus excellentius priore: vel certè denuò justificati ab actualibus peccatis, deinceps sese in innocentia per simile donum gratiæ conservant. Innuit fortassis David insignes quosdam sanctos, ut Abelem, Enoch, Abraham, Isaac, Jacob, quorum nulla in Scriptuis peccata, saltem gravia, leguntur; prævidit etiam forsitan in Spiritum Jeremiam, & Joannem Baptistam, in matris utero sanctificatos, & Deiparam ab Originali quoque peccato, & omni actuali præservatam. Sed b Cyrillus Jerosolymitanus universè de Justis omnibus intelligens, inducit Angelos salvatis omnibus aggratulantes his verbis: *Beati, quorum*, &c.

b Præfat. in Catech.

Beati, quorum remissæ sunt iniquitates.) Hieronym. *Beatus, cui dimissa est iniquitas.* Alii. *Beatus, cui remittitur transgressio, vel elevatus à transgressione*: vel *remissus prævaricationem*; vel *beatitudinis donati venia rebellionis*. Quum ita, ut habemus, legerit quoque Paulus c ex editione Lxx. & mutatis punctis, possit esse pluralis numerus, si ad ultimam addas duas litteras, hoc modo אשרי נשיי פשעית *aschre nesue peschabbim*, pro *nesui peschabh*, credendum nostram lectionem esse meliorem. De prima voce dictum initio Psalmi primi. Secundum est participium à verbo נשה *nasa*, quod est amplissimæ notionis, & aliàs exponitur per *parcendi* verbum d, *& non parces loco illi*, &c. aut *dimittendi* e, *Dimittam omni loco*, &c. aut *obliviscendi*: *Obsecro, ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum* f, ubi est quoque *peschabh*, de quo alibi dixi, propriè quidem *rebellionem*, aut *perduellionem*, seu tamen etiam quodvis grave peccatum sonare. Id hoc loco Græcè dicitur ἀνομία, quæ ipsa, ut & Origen. g notavit, per se respectum ad legem includit, cui adversetur; comprehendit nihilominus peccatum, quod contra naturam, & conscientiæ dictamen, absque lege perpetratur; denique ad originale peccatum extendi debet, de quo Gregorius, & Innocentius III. hoc loco *iniquitates* volunt accipi; per *peccata*, actualia: quod necessarium non judicio, ut nec Innocentii ratio probabilis est, quod minùs æquum videatur, filium portare *iniquitatem Patris* h. Synonyma hæc sunt: quamvis unicum in singulis originale peccatum, sive, iniquitas, pluraliter dici possunt multa, & multæ, ut in Psalmo quinquagesimo: i: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*, quia est scaturigo, atque seminarium plurium.

c Rom. 4. 7. — d Gen 18 24. — e vers. 26. — f cap 50. 17. — g l. b. 4. in ep. stolam ad Romanos. — h Ezech. 18. 20. — i vers. 7.

Video alicubi placere Hieron. k distinctionem, ut sint *peccata* post baptismum commissa, *iniquitates* ante baptismum cum originali. Idem tamen l pro *tectis peccatis* legit *opertas iniquitates*, sicut & Tertullianus m: *Dimissa delicta, operta iniquitates*.

k in c. 8. Osee. — Distinctio peccati & iniquitatis. — l in cap. 10. — m in Scorpiaco, cap. 6.

Ex primaria dicti verbi נשא *nasa*, significatione pro *auferre*, orta videtur hæc pro *parcere*, &c. aut etiam ex alia pro *sustinere*, ac *tolerare*, nam Deus qui justus est, parcit, quia Filius ejus toleravit, ac passus est pro peccatis: aufert etiam penitus, ut prorsus non resideant secundum culpam. Posteriorem istam acceptionem denotat Græcum hujus loci verbum ἀφείθησαν. *Ablatio* præterea indicat debitum peccati pro injuria facta Deo, idque debitum gratis ab eodem tolli, nam solus Deus peccata dimittit n, atque delet o, tamquam principalis & prima caussa, cujus ministerium, postquam Deus homo factus est, hominibus communicavit p. Meritò beatus prædicatur, cui bonum tantum contingit, quum quo conjuncta est infusio gratiæ, quæ jus tribuit æternæ felicitatis, quum relaxatione sempiterni supplicii. Hoc munus in Novo Testamento longe majus, ac magis in promptu est, absque necessitate tot obeundi labores, ad obtinendam remissionem, propter vim sanguinis Christi, jam fusi, & instituta Sacramenta: sed non id præcisè tempus David respexit, ut Basilius, Theodoretus, Euthymius, Irenæus q, Nicephorus, Arnobius, Gregorius, Ambrosius r præ se ferunt: de remissione loquitur in genere, quæ omni tempore concessa est, quamvis ob prævisa merita Christi, non de sola facilitate remissionis. Immo Justinus s ex adeo gravi pœnitentia David eos acriter confutat, qui sola fide contenti remitti sibi putent peccata etiam in hac nostra lege nova. Tertullianus t autem præsentem locum accipit de dimicatione martyrii, & lavacro sanguinis, quod proposuerit Deus præsidium, ac remedium peccatis post baptismum, Porrò Isidorus u locum totum præsentem extendit ad remissionem quotidianorum, leviumque peccatorum, sine quibus inquit, in hac vita esse non possumus.

n Mat. 9. 5. Marc. 2. 5. Luc. 5. 25. — o Isa. 43. 25. — p Joan. 20. 25. — q lib. 5. c. 17. — r in c. 14. epi. ad Rom. & l. de pænit. c. 6. — s in Trypho. sub finem. — Qui sola fide contenti remitti sibi peccata putent, à Iustino confutati. — t in Scorpiac. co cap. 6. — u l. 2. de Offic. Eccl. cap. 22.

Origenes x, in *remissione peccatorum* observat recessum à malo; in *tectis peccatis* operum bonorum exercitium, quibus veluti illa obteguntur: in non *imputato peccato*, hujus ita amputatam radicem, ut nullum in ea vestigium valeat reperiri. Non equidem hoc subtiliter excogitatum, simul, ac piè rejicio: quemadmodum ut innuatur primo membro offensa Dei; secundo, malus actus remanens per modum habitus: tertio, reatus pœnæ, ut philosophatur Thomas, &, ut Nazianzenus y, ut per primum significetur plena purgatio, per secundum, hi, quorum intimæ animi partes nondum purgatæ sint: per tertium, quorum tametsi actio minimè laudabilis est, mens tamen culpa & crimine vacat: & ut Theodulphus z Aurelianensis, qui remittendi peccata septem recenset modos: per primum, baptismus; per secundum, pœnitentia; per tertium, martyrium. Sed Ambrosium a præfero, tria ista idem valere, & ad amplificandam rem eamdem pertinere. Verum de membris aliis postea suo loco.

x in c. 4. ep. ad Rom. — Subtilis observatio. — y Orat. in sanctum Baptis. — z in Epist. n. 36. quæ est conjuncta Epist. Hincmari. — Remittendi peccata septem modi. — a in c. 4. ep. ad Rom.

Cavendus ad extremum Hæreticorum hujus ævi error, quod sola remissio peccatorum absque ullo respectu renovationis internæ sit nostra justificatio. De remissione fit mentio, quia necessaria est in justificatione, quæ pro hominum statu post lapsum primorum parentum, necessariò requirit peccatorum expulsionem, quum paullo post subditur: *nec est in spiritu ejus dolus*, satis innuitur interna & inhærens animi puritas, ut etiam docet Augustinus. Contentus eris fortassis, si plura requiris, his quæ disputavi ad caput quintum Actuum Apostolorum b. Paulus c citans hunc locum, ita scribit: *sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus*. Ubi satis indicat, in remissione, ac non imputatione peccati justitiam includi.

Hæreticorum error cavendus. — b vers. 31. — c ad Rom. 4. 6.

Et

Et quorum tecta sunt peccata.) Hieron. & alii, hoc etiam efferunt numero singulari, sicut & præcedens membrum juxta rationem Hebræi textus, in quo spectatur præterea elegans paronomasia, aut allusio inter נשוי *nesui*, ex priore, & כסוי *chesui*, ex isto membro. *Peccata* prius dixi videri synonyma cum *iniquitatibus*, Tertullianumque a vertisse, *operta iniquitates*, atque alicubi Hieron. b, licèt juxta proprietatem vocabuli Hebræi חטא *chata*, & Græci ἁμαρτία, denotent aberrationem ab ipso, fineque ultimo, & à recta via rationis, quæ ad illum fert, ut Origenes etiam antea citatus notavit. Hoc quia fit per virtutes, idest, reditus ad rationis viam, quæ sunt ceu vestes animæ, *tegi peccata* est, his ablatis, tegi, ac ornari animam virtutibus, cum gratia, ex qua fluunt, & quam comitantur. Tantum abest, ut, quod Hæretici docent, *tegi* sit adhuc esse peccata in anima. Non sic intelligas, ait Augustinus hoc loco, peccata cooperta, quasi ibi sint, & viant: & Basilius, ac Theodoretus hac dicendi formula significari ajunt obliterationem peccatorum, ut ne vestigia quidem supersint. Remissio, de qua proximè dictum, delicio, c, ablatio d, solutio, seu absolutio e, emundatio f, lotio, & ablutio, ac dealbatio g, donatio, & condonatio h, quod parcendi i quoque verbo dicitur, liberatio k, sanatio l, vivificatio m, justificatio n, reconciliatio o, quæ Tolætus expendit p, & his similia alia, ut peccatorum exhaustio q, sanctificatio r, demersio, seu projectio s, purgatio, & excolatio t, destructio corporis peccati, mors, & depositio veteris hominis u, justitia in nobis sicut, & Christus justus est x, plane demonstrant nihil peccatorum, quod ad veram peccati, culpæque rationem pertinet, in justificato residere, sive justificatio per baptismum fiat, de qua Nazianzenus y remissionem accipit, sive per pœnitentiam, de qua idem sumit hoc tegmen peccatorum; sive illud cum Euthymio referas ad infideles, & hoc Judæos, sive potius utrumque ad quoslibet.

a in Scorpiac. c. 6. — b in cap. 10. Osee. — c Ps. 50. 11. Isa. 43. 25. Coloss. 2. 14. — d Iob. 7. 21. — e Mat. 16. 19 — f 1. Ioan 1. 9 Ps. 50. 12. — g Exod. Ps. 9 Isai 1. 18. — h Coloss. 2. 14 — i Iob. 7. 19. — k Rom. 6. 18. c. 7. 23. c. 8. 2. — l Mat. 9. 12. 3. 36. — m 1. Pet. 3. 18. — n Rom. 5. 1. — o 2. Cor. 5. 18 — p Serm. 2. — q Heb. 9. 28. — r 1. Cor. 6 11. — s Mich. 7. 19. — t Malach. 3. 3. — u Rom. 6. 6. — x 1. Ioan. 3. 7 — y Oratione de Baptismo.

Igitur tegit peccata Deus, stolam dando primam, z, vestemque nuptialem a, &, ut denuo Augustin. scribit b, eadem abolendo, & ut Victor c Cartennæ in Africa Episcopus indulgentiæ suæ dono nuditatis turpitudinem operiendo, & ut Chrysologus d, per vim amoris delicta non videndo. Sed quod prodigi pater fecit e, osculo peccata redimendo, claudendo, amplexu, ne nudet pater filii crimina, pater filium ne fœdet, sic curando filii vulnera, ne filio cicatricem, nævum filio ne relinquat. *Beati enim*, ait citans hunc locum, *quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.*

z Luc. 15. 22 — a Matt. 22. 12 — b q. 108. in Exod. — c de Pænit. c. 6. apud Ambros. To. 5. edit. Rom. — d Serm. 3. — e Luc. 15. 20.

Huc revocare possumus ornatus, & integumentum bonorum operum, quæ faciunt justificati per gratiam, quam receperunt, perinde ac si priora mala facta supponantur, supprimantur, obruantur, non amplius conspiciantur, sed ne conspicere quidem amplius liceat, libeatve, sed etiam pudeat: quod est tum à Deo per gratiæ auxilium, tum à nobis per bona opera nostra *tegi peccata*.

Tegendi rationem istam Origenes f tradit Ambros. g, Gregor. h Ambros. i vero comparat cum vestimentis, quibus pii filii verenda patris Noe k contexerunt, ut nihil nudum patiatur justus suorum esse gestorum, nihil indecorum prætereat, nihil inornatum relinquat, sed amictu quodam, & gratia operiat. Ait etiam id Paulum l fecisse superiora obliviscentem, priora appetentem, ut absconderet persecutionis errores, ut tegere superiora delicta, bonisque operibus obumbraret. Gregorius m addit charitatem operientem multitudinem peccatorum n; quæ simul ornat, simul tegendo ad similitudinem curantis medici vulnera corporis, spiritualia vulnera medetur, videlicet illa, quæ post abolita peccata, tamquam eorum reliquiæ remanent, fomes, perturbationes, mali habitus. De charitate Innocentius III. consentit, Hieron. & alii hoc loco, Ambros. o: hic item Augustin. utitur similitudine medici, qui ut curet, emplastre tegit. Adhuc Augustinus adhibet aliam similitudinem ex cadaveribus, quæ humo conteguntur: ex p clicinis velis, quibus arca cooperiebatur, ex pellibus arietinis rubricatis q, quibus illa obvelabatur, intelligens confessionem de peccatis, & sanguinem Christi, Isidorus r Rachelem sedendo idola cooperientem s interpretatur sensu mystico, illum, qui culpas avaritiæ, ac terrenæ concupiscentiæ per humilitatem pœnitentiæ premit, damnatque, præterea t lineas vestes a Mose datas Aaron, atque filiis ejus prius lotis u, ait esse animi candorem, & quasi cinctum lumborum mentis in veritate x, depositis pelliceis tunicis y peccatorum, ut tota horum turpitudo celetur. Philo Carpathius z vestimenta sponsæ odorata a, & illa quæ custodiri præcipiuntur in Apocalypsi b, confirmans nostri Psalmi verbis, dicit opera sancta designare, quibus præterita mala teguntur, ne in die iræ appareant ulciscenda. Innocentius III. c confert cum aquis, quibus mersi perierunt Ægyptii d, baptismum, quo veluti tecta, & suffocata pereunt cuncta peccata. Adde tenebrarum ceu tegmen injectum post Christi mortem e, quasi jam tectis peccatis nostris, & reconciliato Patre.

f in c. 4. Epi. ad Rom. — Ambrosii comparatio. — g de Arca, & Noe c. 31 — de Pænit. c. 5. — h Hic & Hom. 4. in Ezech. 31. Mor. c. 2. — i de Arcae. 31. — k Gen. 9. 23. — l Phil. 3. 13 — m Hoc. loco. — n 1. Petr. 4. 8 Prov. 10. 12. — o Apolog. David. cap. 9. 13. — p q. 108. in Exod. — q Exod 6. 7. — r in Gen. c. 16. — s Gen. 31. 35. — t in Levit. c. 24. — u Exod. 29. 8. — x Eph. 6. 14. — y Gen. 3. 21. — z in Cant. — a Cant. 4. 11 — b cap 16 15. — c Hoc loco. — d Exod. 14. 27. & inde. — e Mat. 15. 33 Luc. 23. 44.

Fateor interdum dici *tegere Deum peccata*, quando manifestis hic non punit pœnis, & sic non advertendo, non animadvertit in ea, ut loquitur in Commentario Augustinus. *Operuisti* f, ait, *omnia peccata eorum; mitigasti omnem iram tuam* g: *visitavit iniquitatem tuam filia Edom, discooperuit peccata tua*, & h, *Ego discooperui Esau, revelavi abscondita ejus*, & *celari non poterit*, & i, *Ne operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum coram facie tua non deleatur*, videlicet insigne supplicium, quod exemplum ac παράδειγμα vocant, id luentis peccata in apertum deducit. At non beatus semper, quem in præsenti minimè punit Deus, acerbiora forsan ei reservans tormenta in æternum duratura. Cuilibet justo reatus adimitur æternæ damnationis: attamen magis propriè *tegendi* verbum importat quippiam impositum, ac superinductum. Thomas quidamque præterea in hunc modum *tegi peccata* interpretantur: quod etsi verum, non adeò, ut dixi, proprium. Nec placet Innocentius, tegi charitate peccata venialia, ut non ostendatur justi per illa deformes.

f Ps. 84. 3. — g Thren. 4. 22. — h Jer. 49 10. — i 2. Esd. 4. — Innocentii improbata expositio.

Illa minus ad rem facit, nec etiam planè vera caussa, beatum censeri, cujus tegantur peccata, quod Electorum peccata minimè sint manifestanda in die judicii. Is, qui Hieron. nomen gerit, Auctor Commentarii, ita sentit, dicens hic velari per pœnitentiam, ne in judicio revelentur. Præterea Magister sententiarum k, Viguerius l, Sonnius m, & quidam alii negant revelanda in judicio justorum peccata. Sed hoc alibi confutavimus n. Lege Suarez o.

Diversorũ sententiæ confutatæ. — k 4. D. 43. — l in Inst. c. 21 * 3. vers. 6. — m in Demonst. Tra. de extr. judicio cap. 6. — n in Ecclesia c. 12. v. 14 — o Tom. 2. disp. 57 sect. 7.

Tecta erunt justorum peccata, ut eorum notitia, nec ruborem, nec mœrorem ingerat; sed aperta, ut enitescat, laudeturque misericordia Dei, ac nobiles de peccatis pœnitentium triumphi. Laceram quis quandoque sic reparat vestem assuto pretiosiore panno, ut vestis ea scissio ad ornatum de industria facta videatur. Ad eundem modum exstabit pœnitenti alicui laus ex pœnitentia major, quam integro, ac innocenti.

Non possum probare Alphonsum à Castro p, explanantem *tegi peccata*: cum quem pœnitet propter amorem Dei q. Non de actibus pœnitentiæ modo sermo est, dispositionibusque justificationem antecedentibus, sed de ipsa remissione, atque justificatione. Immo Paulus r usurpat hoc testimonium, ut ostendat non ex operibus legis, aut aliis nos justificari, sed gratias, seu ex gratia, & fide Christi: quia nimirum non ait David: Beati, qui hoc, vel illud faciunt; sed refert ad Deum ipsum, ad gratiam. Apollinarii planè singularis nec probanda expositio, Beatos esse, quibus non amplius curæ sunt iniquitates, quasi eas oblivioni tradiderint.

p Ser. 3. & idem dicit Pererius, in c. 4. — q Ep. ad Roman. — r Rom. 4. 14 — Usurpatio hujus loci Paulo, ad quid.

Οἷσί τ' ἀπωλείαι μεμελημέναι οὐκέτ' ἔασιν
Quibusque iniquitates curæ non amplius sunt.

Adiice salutare montium, ut quum Deus tegat pœnitentem, ornando, & peccatorum obliviscendo s, ne puniat umquam, etiam post relapsum, quia sine pœnitentia sunt dona ejus t. quum eadem tecta velit Sacerdoti confessario, postquam ea audivit, ipsique Diabolo, ut exemplis probari posset: tu ipse vulnera peccatorum non tegas, quæ decrevit Deus intecta non curari, sed eo magis prodi, atque evulgari. Adam fugitans conspectum Dei, abdens sese in arbore, foliis ficulneis obvelans, excusans peccatum, nolens aperiebat clariùs, peccavisse u. Caino autem fratris meditanti mortem, occurri Deus x: *Nonne si bene egeris, recipies; sin autem, statim in foribus peccatum tuum aderit?* Davidi renuntiavit nomine Dei Nathan y: *Tu fecisti abscondite*:

s Ezech. 18. 22. — t Rom. 11. 29. — u Gen. 3. 7. — x Infra 4. 7. — y 2. Reg. 12. 12.

ego

ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis a. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ei, misericordiam consequetur*. Sed qui prætexit vitiis imaginem virtutum, fictus, & hypocrita, veniens in vestimentis b ovium lupus rapax, tandem desperdetur. Aliena *peccata operit charitas*, c ut alias d demonstravimus, & qui hoc pacto *celat delictum, quærit amicitias*, ut è contrario, *qui alterno sermone repetit, separat fœderatos* e. Polydorus f Virgilius usurpat ut adagium scribit sententiam istam, cum quis vult innuere quempiam sceleribus contaminatum, idcircò publicè in honore, esse, quod ejus mores ignorentur, ita ut prosit ei, quod minùs cognoscatur.

a Prov. 28. 31
b Matth. 7.
c Prov. 10. 12 & 1. Petr. 4. 8.
d Ibidem.
e Prov. 17. 9.
f Adag. sacrorum 544

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.) Tertull. g: *Cui non reputaverit Deus delictum*. Pro *peccato* Hebr. est nomen à prioribus diversum עון *bhauon*; quam reddit *iniquitatem* Hieron. & pro verbo præterito futurum, quod & codices aliqui habent, & in quo quidam vim faciunt, ut Toletus: Augustin. tamen, Arnob. Gregor. aliique, sequuntur lectionem nostram, & ita quoque restitutum est in Epistola ad Romanos.

g in Scorpia. cap. 6.

B Nomen illud Hebræum *pravitatem* sonat, & injustitiam contra Proximum, quod Cain de sua contra fratrem occisum usurpavit, *Major est iniquitas mea* h, &c. Græcè *αἰτία causa*, & peccatum, propter quod in jus vocari possum. Erat i adulterium & homicidium David contra Uriam. Sed quodvis peccatum prout offendit Deum, censeri potest injustitia, quia debemus illi obedientiam. Possunt quoque ut synonyma sumi omnia tria vocabula פשע חטאה עון *peschahh, chatah, bhauon*, & non ut significent originale, mortale, veniale, sive secundùm ad veniale pertineat, tertium ad mortale, quod placuit Innocentio III. sive contra.

h Gen. 4. 13.
i 2. Reg. 11. 15. 17.

Non imputari autem *peccatum* à Domino, est ita Dominum illud remisisse, ac texisse, illis modis, quibus exposuimus, ut quia nullo pacto amplius manet culpa, non etiam in ejus judicio, & æstimatione is, qui prius erat, habebaturque peccator, talis nunc sit, & habeatur; & dignus non reputetur æterna pœna, in quo Lyranus consistere vult non imputationem. Vel certè sic reatum, & culpam æternæ pœnæ condonari, ut simul nullus remaneat temporalis pœnæ reatus, & restituantur præcedentia dona in eadem quantitate, & qualitate, ut gratia tanta sanctificans, gratiæ quædam gratis datæ, si quæ erant, exempli caussa, discretio spirituum, sensibilis quædam devotio, lacrymarum donum, &c. Qui habitualem malitiam nihil aliud volunt esse nisi reatum, ut Scotistæ, remitti, & non imputari peccatum ad reatum, idem omninò esse asserunt, ut hoc loco ex illa secta Alphonsus à Castro. Multo melior sententia, reatum esse proprietatem, affectumque malitiæ. Primò dicendi modo favent Pauli verba ad Philemonem k. *Si aliquid nocuit tibi, aut debet; hoc mihi imputa*: secundò alia ejusdem ad Timotheum l: *In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur*. Idem illa Ezechielis m: *Omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei*; Baptizatis, Martyribus, ferventibus, perfectè pœnitentibus non imputantur peccata juxta posteriorem modum, quatenus totus reatus etiam temporalis ipsis dimittitur. Eulogius n *remissas iniquitates* intelligit per baptismum; *tecta peccata* per pœnitentiam: *non imputari*, idem esse quod tegi.

Scotistarum sententia.
k vers. 18.
l 2. Epist. 4. 16.
m cap. 33. 16 c. 18. 22.
n in Biblio. th. Photii p. 230.

Minùs propriam judicio interpretationem Nazianzeni o, *non imputari peccata*, cum, tametsi aliquid improbem, & vitiosè quis agat, animus tamen, & voluntas culpa vacat, & idcircò Deus non judicat illum peccatorem. Quod culpa quis vacet, beatitudo sanè, & gratia magna est; quod culpa vacantem in eo, quod materialiter dumtaxas malum est, non habeat Deus peccatorem, justitia mera est. Melior esset alia præter dictas *non imputationis* ratio, quando quia quis non peccat, nihil debet Deo. Sed placet magis hic dici beatum, cui peccatum, quod reverà propriéque fecit, Deus non imputat, quia scilicet ei gratis remisit, illud texit, nec reliquit caussam, quare merito iam ut peccatorem judicare, ac tractare, & punire debeat, qui non est ampliùs peccator, vel cui omne debitum, atque reatum dimisit, & alia restituit, ut ante dixi.

Minus probata Nazianzeni interpretatio.
o Orat. de Baptismo.

A Augustin. p, aliusve, dum asserit. Deum *non imputare*, quia non minus diligit ob culpam dimissam, juvat allatum à nobis sensum, qui videtur Innocentii III. Remigii, Ruffini (hic expendit nomen *viri*, hoc est, strenui, & quidem in singulari, quod rarus talis inveniatur) nisi quod *non imputare* dicunt esse non reperire peccatum; non quia id deleverit Deus, sed quod alius non commiserit mortale in hac vita: veniale, postquam pervenerit ad aliam: quæ impropria etiam ratio, ut dixi, non imputandi est. Nec satis mihi placet, restringere sententiam ad electos; quibus quia *cooperantur omnia in bonum* q, etiam peccata, non imputare illis peccata, sit, charitate Dei perindè esse, ac si non fuissent. Sic explicat Bernardus r. In hac vita, & secundùm præsentem statum, potest rebrobus justus esse; eique propriè remitti, tegi, non imputari peccata, hisque malis beatus esse in spe, licèt numquam perventurus sit ad rem. Nolim prætereà non imputationem ad martyrium referri, alia duo ad Baptismum, & Pœnitentiam, quod Hieron. excogitavit.

p Tract. de dilig. Deo c. 12.
Nominis viri, notio expensa.
q Rom. 8. 28
r Serm. 23. in Cant.

B Hinc discitur, quanto in errore versentur Hæretici, qui ex non imputatione colligunt, sicut ex tectione peccatorum, nullam in peccatore, dum justificari dicitur, internam, atque inhærentem fieri mutationem, & non auferri peccata, sed quæ manent, non imputari ad æternam damnationem, nec pro illis punitum iri peccatorem. Abundè responsum est, *tegi Deo* quæ non sunt, *non imputari*, quæ cur imputentur, digna non sunt. *Utque quod factum est*, ait Bernardus s, *non potest non fieri. Deo tamen non imputante, erit quasi non fuerit*. Profectò illud, Deum non posse, dici nequit absque detrimento potentiæ; nolle, sine jactura misericordiæ: non punire peccata, quæ remaneant, nisi concedatur injustus: non sustulisse penitus peccata, & sanctificasse, nisi non satis sufficientem nobis redemptorem concessum velit, & reconciliatorem; quum tamen Apostolus scribat t, quod *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum*. Verè liberi, quos Filius, qui veritas est, liberat u. Doct. hoc tractat, non modò plenè idiomate Hispanico C Joannes. Avila x seculo superiore, concionator verè Apostolicus.

Hæreticorum error.
s Serm. 1. de Annunt.
t 2. Cor. 5. 19
u Joan. 8. 36
x Tra. in illud: Audi filia, &c.

Etsi verò de peccatis tàm mortalibus loquendo, in eo, qui justus non est, quàm de venialibus in justo, qui eximium privilegium non habeat, quod cuiquam concessum, præterquam Deiparæ, certò affirmari non potest, vitari omnia non possint, nihilominus imputantur: quia, ut Augustin. docet y, præterita voluntas hoc fecit; & tamen vitari, inquit, potest, non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adjuvatur. Hæc facit humilitas, quemadmodū Gregorius admonet. Pauli z verbis, ut nosmetipsos judicemus, ne judicemur à Domino: ut nobismet ipsis peccata nostra imputemus, ne nobis imputet Deus: ut ea, satisfaciendo, puniamus, ne ullum, qui nos in futuro puniat, inveniamus. *Beatus vir* est, qui hoc facit, id est, virilem animum ad vitia presequenda essumit. Quamquam Hebraicè nomen est imbecillitatis humanæ אדם *Adam*, sed ad peregrinas linguas non attendentibus, pronum est quod affert lingua familiaris arripere, indeque sensum qui D commodus videatur, elicere.

y de Perfect. justitia, c. 6.
z 1. Cor. 11. 31.

Id quod dictum est de *imputatione peccati*, probari ex opposito potest ex *imputatione justitiæ*, quando scribitur, Abrahæ a vel Phinees b reputatum *ad justitiam*; reverà enim significatur opus illorum fuisse justum, ac pro tali, ut erat, reputatum à Deo; item cum toties inculcat Paulus c, *ei qui operatur, mercedem non imputari secundùm gratiam, sed secundùm debitum*: prætereà fidem reputari ad justitiam, idest, fidem, quæ per charitatem operatur esse, veram justitiam, non ex operibus acquisitam, quæ præcedunt gratiam, sed à Deo donatam, & infusam, ideòque pro vera justitia ab eodem Deo reputatam, & acceptatam. Denique in fine Psalmi *justos* nominat ac *rectos corde*, & verbis sequentibus in isto versu, *in quorum spiritu non sit dolus*.

a Rom. 4. 3. Jac. 2. 23.
b Ps. 105. 31
c Rom. 4. 4.

Nec est in spiritu ejus dolus.] Arnobius, Augustinus, Cassiodorus, Innocentius, *in ore*, Græcè, ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ: quam quoque lectionem sequitur Psalterium Romanum, & Ambrosianum, & Arabicum: Æthiopicum verò, *in corde*. Eusebius meminit lectionis

ctionis utriusque ἐν τῷ στόματι, vel ἐν τῷ πνεύματι. Hiero- A nymus in sua vesione secutus est eam lectionem, quam habemus, estque consentanea Hebræo textui ברוחו *berucho*: in Epistola autem ad Suniam, & Fretelam a, ait, solum Symmachum vertisse ἐν τῷ στόματι. Lxx. Theodotionem V. & VI. editionem, & Aquilam, & ipsum Hebr. habere *in spiritus ejus* ברוחו *berucho*: sin autem esset, *in ore ejus* scribendum fuisse בפיו *bephiu*: Gregor. & alii Latini passim, *in spiritu* legunt.

a Epist. 135.

Qui reddunt, *in corde*, Hebræam vocem acceperunt pro animo, animæve substantia spirituali, quam significat: qui, *in spiritu*, vel idem spectaverunt, vel alteram notionem pro flatu, quem respiramus: qui, *in ore*, habuerunt rationem istius ultimæ significationis. Sic Isaias b prædicit *spiritu labiorum* Messiæ interficiendum *impium*, & Paulus c, *spiritu oris*. In eodem sensum videtur Apostolus d accepisse spiritum, quum scripsit: *Si orem lingua, spiritus meus orat*, (idest, Spiritus, quo emititur vox) *mens autem mea sine fructu est, quid ergo est? orabo spiritu, orabo, & mente: Psallam spiritu, psallam, & mente?* Atque eum Pauli locum ita declarant Chry- B sostomus, Theophylactus, & alii. Eodem pacto in sequenti Psalmo e, licèt figuratè *Spiritus oris Dei* exprimitur, quo cœlorum facta sit virtus.

b c. 11. 4.
c 2. Thess. 2. 8.
d 1. Cor. 14. 14.
e vers. 6.

Dolus in animo potest esse, in ore, in opere. *Dolos tota die meditabantur* f: *Qui non egit dolum in lingua sua* g, aut *locutus est verbis pacificis in dolo* h: *Non defecit de plateis ejus usura, & dolus**. Peccata oris hìc designari quidam putant, sicut per *recta*, ea quæ sunt cordis: per *non imputatum*, id, quod operis: per *iniquitates remissas*, originale. Hoc modo Innocentius, Euthymius, & Castro, *Beatum* dici volunt, qui post pœnitentiam, & remissionem, non rescindit pactum, bonumque animi propositum non amplius peccandi. Hebræi, quem ex animo, non fictè pœnitet, atque se peccatorem agnoscit, & candidè peccata sua confitetur, quod placet quoque Turriano i nostro, & B. Thomæ, Brunoni, Eusebio, Augustinus, & Gregorius; Qui non habet mendacium jactantiæ, superbiæque existimando se justum, quique non egeat pœnitentia, & remissione, vel etiam qui se, ut ait Haimo carere veniali probet peccato. Alii: Qui sicut peccatum non commisit, quo lædi- C ret Proximum; ita hunc non decepit ullo modo quemadmodum utrumque fecerat David contra Uriam k, quem convivio exceptum remittere ad uxorem voluit, ut occultaret adulterium, tandemq; occidit, missis epistolis, quibus primum in acie collocari præcipiebat.

f Ps. 37. 13.
g Ps. 14. 3.
h 1. Math. 7. & 10
* Ps. 54. 12.
i 4. de Dogmat. charact.
k 2. Reg. 11. 15.

Videtur sua David innuere peccata isto, ac priore membro: duobus primis etiam alia populi Hebræi, qui sæpè commiserat פשע *peschahh*, idest, *apostasiam*, & *idolatriam*; & חטאה *chataah*, alteriùs generis peccatum quodlibet, salva fide, atque religione, & fine, à quo deflectebat. Remittebat Deus, cum condonando, temporaliter adhùc puniebat, tegebat, cum nec sic puniebat, ac proindè non puniendo, veluti peccatum celabat. *Beatum* clamat David cui non imputatur peccatum injusti facti, & qui nec animo quidem, verbisve fraudem concepit, expressitve adversus alium. Multiplex dolus hypocritæ, negotiatoris, perjuri, avari, luxuriosi, detractoris, &c. de quo Gulielmus Pe- D pinus l. Quæ retuli, omnia probabilia maximè, quæ secundo, ac tertio loco.

l lect. 12. n. 7 Ps. pœnit.

Alienius est quod affert Arnobius, de Christo, non esse in ore ejus dolum m, ut dubitari non debeat non esse pœnitenti remissurum peccata, quoniam promisit, suntque illius certa, & rata promissa, non simulata, non ficta. De Deo sermonem non esse, sed de homine, totus contextus demonstrat. Allusit forsitan Christus ad hunc locum, quando Nathanaelem *verè Israelitam* appellavit, & *sine dolo* n *verè Israelitam esse*, est esse cui peccatum non imputaretur, quia nullum grave habebat; *sine dolo* idem; non autem quod omni prorsus careret peccato; ut contra Pelegianos Augustinus o notat; & prætereà quod quum vir Doctus esset, non elusit argutiis argumentorum propositionem Philippi; &, ut ait Ammonius p, absque simulatione, & animo candido accessit ad Christum.

Aliena Arnobii exp.
m Isa. 53. 9. 1. Pet. 2. 22.
n Joa. 1. 47. Verè Israelitam esse, quid sit.
o Ibidem.
p Catena in Joan.

Vers. 3.) Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.

Posita justificatorum beatitudine, deplorat miseriam suam, quasi dicat: Sunt sanè illi beati; ego verò miser, qui non tantum non abstinui à peccato, innocentiamque non servavi, sed heu distuli nimis diu veniam quærere. Propterea postquam in me redii, culpamque non tantum prioris peccati, sed dilatæ quoquæ penitentiæ agnovi, cœpi tantos clamores, ac rugitus edere, ut sic me macerando, ipsa ossa debilitata attritaque viderentur præ maxima virium imbecillitate, & benè lassus tandem cogerer conticescere; vel eo quod silerem, non tam externo sermone peccatum fatente, quam animi dolore, ac pœnitudine idem peccatum detestante. Utroque modo vociferari compulsus sum, & gravi angore mentis, & acerba variæ calamitatis, & morbi exagitatus vexatione à Deo ipso, B ita ut veluti consenescerem, & deficerent me tùm animi vires, tùm corporis.

Non obstat priori sensui, quem tradunt Hæbrei, & Eugubinus Vatablus, aliique Hebræos sequi soliti, quod obiicit Toletus q, Davidem pœnitentiæ suæ non meminisse usque ad ea verba: *Dixi, Confitebor adversum me*, &c. nam ad pœnitentiam profectò pertinent juxta opinionem satis communem, ipsiusque Toleti priora illa: *Conversus sum*, &c. *Delictum meum cognitum tibi feci*, &c. Id minus illi rectè, quod explicant, *Quoniam tacui*: idest, dum tacitus consideravi gravitate peccati, *inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die*, hoc est, contabesco, atque consumor præ gemitibus propter peccati detestationem, non hoc significat, *tacui*. Sensus alter Græcorum est eo modo, quem exposui. Revoca porrò in mentem; quod dudum ante dixi, decem minimum, menses Davidem distulisse pœnitentiam.

q Serm. 4.
Decem menses dilatata Davidis de adulterio pœnitentia.

Mysticè August. Cassiodor. Gregor. Innocent. Hieron & aliis plures *tacentem*, dum tacet, *clamare* dicunt, quando non fatetur peccata, & prædicat merita sua, C qualis Phariseus apud Lucam r, quum Publicanus taceret merita, clamaret peccata. Addit Gregorius, & Innocentius *clamare tacendo*, qui peccata quidem præterita per confessionem non annuntiat, & per cor impœnitens alia committere, accepta peccandi libertate, non cessat: quia clamor de peccato dicitur cum libertate commisso, ut de peccato s Sodomorum, & aliis, sicut alibi demonstratum est. Unum de peccatis, quæ clamant ad Deum effusio humani sanguinis, & homicidium t est. Hoc David peccatum commiserat u. Isidorus x clamorem docet esse defensione malorum, & peccatorum.

r c. 18. 12. & seq.
s Gen. 18. 20
t Ibid. c. 4. 10.
u 2. Reg. 11 13.
x 2. sent. c. 24.

Inveterationis autem *ossium* figuram sumptam docet Innocentius ex plaga, quæ medico celata non curatur, sed incrudescit, intumescit, plus generat, & arrodit etiam ossa, atque tabefacit. De Confessione sacramentali proculdubiò David non loquitur, quæ legis Evan- D gelicæ dumtaxat est, sed vel de certorum quorundam haud ita gravium quam lex scripta sacerdoti fieri palàm præcipiebat y, certò simul oblato sacrificio: vel de interiore, qua quis coram Deo agnoscit peccatum, dolendo, ac veniam petendo: quæ confessio cuivis peccatori necessaria semper fuit, est eritque usque ad finem mundi.

y De qua Genebrar. hic vers. 6.

Quoniam tacui.) Theodotio. ἐκοπίασα, *laboravi*. Aquila: ἐκώφευσα, *Obmutui*. Symmachus ἀπεσιώπησα, vel ἀπεσίγησα, *Silui*. Tacuit quod se posteà dixisse dicit z: *Dixi confitebor*, &c. Idcircò minus apta, cujus, ante meminimus, interpretatio, ut tacuerit, dum tacitus reputavit apud se peccata sua. Nec ita propriè tacere fuit, ut Lyrano placet, celare voluisse adulterium, jubendo Uriam repetere domum, ut cum uxore dormiret: & homicidium, eumdem Uriam occidendum obiiciendo prætextu belli: nec item, quod præ pudore pro peccato sacrificium non obtulerit. *Quis tacuisse se pœnitet*, inquit Isidorus a, *nisi confessionem peccatorum?* Chald. *tacui à verbis legis*, idest, cessavi, obsurdui, non obedivi. Origenes, quem in Commentario ultimorum veborum versus offeram, *tacui à laude Dei*.

z vers. 5.
a 2. sen. 12

Varium

Taciturnitas tum bona tum mala esse potest.

Varium genus Taciturnitatis tum bonæ, tum malæ, quia a *Tempus tacendi, & tempus loquendi*: cujus declarationem sententiæ leges in Commentario Ecclesiastæ. De utraque Innocentius, Hugo, Toletus, Pepinus. Bene tacet, qui novit non esse opportunum loqui b, *stultus namque si tacuerit, sapiens reputabitur; & si compresserit labia sua, intelligens* c, vel ut patientiam servet d: vel ut discat aptiùs loqui; vel ut sese mortificet, & compescat f: vel ut compungatur, ac silentio ipso fateatur nihil habere, quo excuset se g: vel ut audita meditetur, meliusque intelligat h: vel honoris, ac reverentiæ, decorisque caussa i.

Silentium reprensionem dignum est illius, qui nec scit loqui, seu respondere, nec novit quando id fieri debeat k: Qui non respondet, cui deberet, ne convincatur ipsius malitia l: Qui pro ratione officii non docet, neque reprehendit, sed est veluti canis mutus, non valens latrare m, quo nomine seipsum Isaias accusat n: Qui tacendo assentatur: *dives enim locutus est, & omnes tacuerunt* o: Qui confunditur confiteri peccata p.

Qui de vitiosa ista in peccatis confitendis taciturnitate præsentem accipiunt locum, sensum profectò faciunt accomodationis, quemadmodum, & qui de eadem dæmoniacum mutum q; inter quos etiam Bernardus r, cujus quommodo propria sic scripturas usurpandi ratio. Eodem sensu idem profert illa f: *Labia mea non prohibebo, Domine, tu scisti*: hoc ait esse *ostium circumstantiæ labiis* t, ut oris januam, & aperire confessioni, & defensioni claudere noverimus, nec excusemus excusationes in peccatis u, scientes, quòd confessio, & magnificentia opus Dei x, dum videlicet nostram malitiam, & æquè divinæ bonitatis, & virtutis magnificentiam minimè tacemus.

Multa disputant Gulielmus y Parisiensis, Robertus de Sorbona z, iterum Bernardus a, Hugo Victorinus b, Gregorius c, Chrysostomus d, Pacianus e adversus præposteram in confessione peccatorum erubescentiam, quæ nobis à parentibus primis communicata est f, ut Job g etiam innuit. *Si abscondi quasi homo* (Adam non appellativè tantùm, sed etiam propriè) *peccatum meum, & celavi in sinu meo iniquitatem meam*. Hujus Gregorius non minùs ait admirari se confessionem humillimam peccatorum, quàm tot sublimia gesta virtutum. Scio enim, inquit, quòd per infirmitatis verecundiam plerumque gravioris est certaminis commissa peccata prodere, quàm non admissa vitare: & unum quodque malum quamvis robustiùs vitetur, tamen humiliùs proditur. *Noveris volo, non ut est apud præsulem fori*, scribit Sidonius h, *sic esse apud esse apud Judicem mundi: namque ut is, qui propria vobis* (ad Polemium est Epistola) *non tacuerit flagitia, damnatur; ita nobiscum, qui eadem Deo, & Dei vice legitimo sacerdoti fuerit confessus, absolvitur*. Similis à Chrysostomo i non semel, aliisque sententia repetitur: & quod attinet ad humana judicia;

k Non est confessi caussa tuenda rei.

Quocirca nil verendum confiteri: horrendum potiùs silentio sibi creare secreti vulneris interitum, ut admonent Tertullianus l, Ephrem m, Gregorius n.

alitur [enim] *o vitium vivitque tegendo.*

&, Τροφὴ νόσου ἡ σιωπή: τὸ δὲ ἐγκαλυμμένον οὐ παραμύθητον. *Nutrimentum morborum silentium: quod autem vulgatur, facilè solatium consequitur*. Denudatio, circumcisioque pudendi membri, typus confessionis fuit, ut Lactantius q docet: mundatio quoque ostensæ lepræ r, ut multi passim patres: tali fimo confessionis, ait Ambrosius f stercoratum ferre fructus uberiores. Plura dixi in Expositione Historiæ mulieris Samaritanæ t.

Inveteraverunt ossa mea.) Hieron. *Attrita sunt*, quod Aquila vertit κατετρίβη. Hebræum בלי *balu*, vestimentis tribuitur, & iis, quæ pereunt usu, ac diuturnitate, vel etiam situ. Sic Gabaonitæ vestimenta, ac calceamenta obsoluisse argumentabantur longi itineris usura u, & Arabicè *res veterrima* vocatur *albali*. Lamentatur Jeremias x vetustam factam pellem suam, & carnem, idest, nigram, attritam, &c. Explicat Lyranus animæ vires spirituales magis defecisse, quia voluit David occultare adulterium y: ut enim id assequi non potuit, Uriam occidi curavit z. Cœpit ista velut imminutio, quum primum peccavit: precessit magis toto tempore dilatæ pœnitentiæ, adjectis aliis præterea peccatis.

a Eccl. 3. 7. b Eccl. 20. 6. Amos 5. 13. c Pr. 17. 28. d Ps. 38. 10. e Ibid. 3. f Thr. 3. 28. g Isa. 47. 5. h Dan. 10. 15. Gen. 37. 11. i 1. Cor. 14. 34. Eccl. 32. 9. 10. K Eccl. 20. 6. l Mat. 21. 27. Mat. 22. 12. m Is. 56. 10. n c. 1. 6. 5. o Eccl. 13. 28. p Pr. 28. 13. Eccl. 4. 31. q Mat. 12. 22. r Serm. ad milites templ. c. 12. f Ps. 39. 10. t Ps. 140. 3. u Ibid. 4. x Ps. 110. 3. y lib. de Pœnit. c. 13. & 14. z In itinere Paradisi, & l. de confess. a Serm. 3. de S. Andrea, & in sententiis, & lib. de Interiori domo c. 37. b 2. de Sacram. Part. 14. c. 1. & Par. 2. eruditio. Theol. ex Miscella cap. 100. c 22. Moral. c. 9. & 10. d Serm. 2. de Pœnit. e Epist. de Pœnitentia. f Gen. 3. 10. g c. 31. 33. h lib. 11. Epist. 14. i Hom. 3. in idex 2. Par. 26. elatum est cor Oziæ. & Hom. 20. in Gen. & Hom. 3. ad pop. & Ser. 2. de pœnit. & de confess. peccati. K Ovid. l De Pœnit. m Tom. 2. Ser. quo seipsum reprehendit. n Hom. 40. in Evang. o Virg. 3. Georg. p Heliodor. lib. 4. Hist. Æthiop. sub initium. q lib. 4. c. 1. r Lev. 13. per totum caput Mat. 8. 3. f 4. de Pœnit. c. 1. t Joan. 4. per totum caput u Josue 9. 5. x Thren. 3. 4.

Ad litteram de ossibus corporis est sermo seu etiam de naturalibus animalibus, corporalibus viribus, quæ præ nimio, & continuo clamore, rugitu, dolore, consenuisse celebantur, ac penè consumptæ. Tantæ autem calamitatis caussa erat tacuisse, nec ad Deum tam citò, ut oportuit, conversum esse, quum patravisset adulterium, homicidium Uriæ a, & aliorum militum, fraudem supponendi Uriæ adulterium prolem: unde ortum furtum esset, ut in bonis Uriæ succederet: inebriationem Uriæ b, ut obrutus vino, iniquitati ejus obtemperaret: perjurium, inducendo Uriam, ut juramentum violaret: calumniam, scribendo ad Joab, reum majestatis Uriam esse: matrimonium cum interfecti uxore, publicum scandalum: impœnitentiam tam longi temporis, nam quod Ambrosius c, ne exiguo quidem momento manere penes se delicti passum esse conscientiam, sed præmatura confessione, atque immenso dolore reddidisse peccatum suum Domino, debet intelligi, post quam reprehensus est à Nathame.

Locus Ambrosii ut intelligendus.

Cave secundùm *impœnitens cor, thesaurizare tibi iram* e: *Dic tu prior iniquitates tuas ut justificeris* f, noli expectare, ut ab invito id extorqueatur, & fateri cogaris: *Erravi à via veritatis* g *jam constitutus extra viam*. In equo Trojano erat in extremo, ut scripsit Cicero h: SERO SAPIUNT PHRYGES. Convenit in eos, quos malefactorum serò pœnitet, ac sine fructu. Non est in hac vita, quælibet sera abique emolumento pœnitentia, sed dummodo seria sit pœnitentiat, at

In equo Trojano inscriptio.

—— *serò* i *medicina paratur,*
Cum mala per longas convaluere moras.

Præventus Diabolus in accusatione, nos accusare non poterit, inquit Origenes K, qui fratrum accusator est l. De *ossium* figurata notione, deque inveteratione spirituali actum nonnihil Psalmo sexto m: *Conturbata sunt ossa mea: inveteravi inter omnes inimicos tuos*. Peccata, pravique habitus animæ vires secundùm se non imminuunt, hoc est, ipsas potentias, quæ parem sortiuntur cum animæ substantia hac in re conditionem, ut sint expertes sicut intensionis, ita, & remissionis: tamen retardatur, impediturque illarum in operando conatus, & facilitas. In virtutes cadunt duo illa, hoc est, ut gradibus constent, & justi tum facultatum, tum virtutum ossa dicunt, & clamant Deo, *Quis n similis tibi?*

Dum clamorem tota die.] Hieronym. *in rugitu meo*, באשגתי *beschagathi*, ἀπὸ τοῦ κράζειν με, Augustinus, *A clamando me*. Aquila, ἐν βρυχήματί μου, *in rugitu meo*. Symmachus, ἀπὸ τοῦ ὀδύρεσθαι, *ex eo quòd lugerem*. Fortassis legit משאגתי *misschagathi*. Clamorem istum, dixi fuisse propter acerbitatem calamitatum, vel simul ægritudinis, *gravata, die ac nocte*, ut sequenti versu dicitur, *super eum Dei manu*, eò quòd pœnitentiam differret; quamvis, & simul dolere potuit, anxiusque esse ob metum ingruentem aliorum malorum. Sed non hæc per se caussa clamoris, à Lyrano tradita, sufficit, quum apertè hic innuatur, de præsenti dolore clamor, gemitus rugitus: sicut, & in Psalmo trigesimo septimo o, ubi testatur David, quòd rugiebat *a gemitu cordis sui*. Non etiam litteralis censendus, quem esse Castro putat, sensus, ut exaggeret peccatum, ac impenitentiam suam Davidis, significare se ore tacuisse, quum tamen suamet gravitate clamaret continenter ad Deum peccatum ipsius, quod erat opere malo clamare. Hac ad mysterium pertinet.

Euseb. interpretatur de penitentiæ lamentis, quos Abigail prudentissima femina *scrupolos cordis*, & *singultus* appellavit p, quasi diceret David, felices esse, quibus non imputari peccata contingeret; se, quum laboraverit, maximè peccatum confitendo, veniamque poscendo, vocis continua contentione, tandem fessum conticuisse. Atqui ætiologia *inveteratorum ossium* præ *clamore*, ac *rugitu* assignatur præcedens silentium, propter quod manum Deus gravaverit super eum, illum validè

y 2. Reg. 11. 8 & seqq. z Ibid. 17. a ibid. 24. b ibid. 13. c Apolog. David. lib. c. 2. d 2. Reg. 12. 13. e Rom. 2. 5. f Isa. 43. 26. secundum Lxx. g Sap. 5. h lib. 7. Ep. 16. ad Trebatium. i 1. de Remedio Amoris. K Homil. 3. in Lev. l Apoc. 12. 10. m vers. 3. 8. n Ps. 84. 9. & alibi. o vers. 93. p 1. Reg. 25. 31.

validè percutiendo. Origenes a in exponendo quæ sint στροφαὶ λόγων b, dicit esse hyperbata. In exemplum autem profert ex præsenti loco, volens ordine recto sic disponendum: *Quoniam à clamando ad te tota die tacui, inveteratæ sunt ossa mea*: ut sit sensus: Quoniam à clamore, & obsecratione, & laude tua cessavi, ideò exsiccata sunt ossa mea tunc enim quum laudabam, ò Deus, nomen tuum, impugnabantur, juxta illud videlicet c, *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea; & labiis exultationis laudabit os meum.*

Agellii interpretatio.

Maximè probat Agellius hanc interpretationem. Probare non potest, qui vulgatam editionem, ut debet approbat, & solam probam censet, à qua satis constat abhorrere, quod Origenes affert. Itaque aut clamor ex dolore corporis erat, aut, ut initio admisimus, ex dolore animi tandem recogitantis priorem tum culpam, tum impœnitentiam, quæ tot ei calamitates, ac forsan etiam morbum accersiverant.

Vers. 4.) Quoniam die, ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Doloris acerbitatem *ossium* significatam priùs *inveteratione* propter demeritum culpæ, atque impœnitentiæ sibi provenisse à vindice Deo dicit; se verò dum extimularetur, ac pungeretur, infixa quasi spina per miseriam, quam ille immisit, conversum esse, ac voluntatum in eadem, ita ut nullum levamen reperiret. Post adulterium, homicidiumque filius ex adulterio natus adhùc infans mortuus est: filia Thamar ab Amnon fratre polluta per incestum: Amnon ab Absalone fratre occisus: Absalon contra patrem dimicans, & concubinas patris publicè violans, & ipse in bello interfectus. Semei maledixit Davidi, mittens lapides adversus eum, terramque spargens. Narrantur ista multis capitibus in secundo Regum libro d. Quamquam post mortem, at paullò etiam ante, filii adulteri, videtur David inivisse pœnitentiam, quum ad primam reprehensionem Nathan, peccavisse confessus est e, ac vicissim audivit translatum peccatum, hoc est, condonatum: ita ut sequentes calamitates, quod non obscurè idem Propheta præ se tulit, jam non propter impœnitentiam, sed ob pejora peccata ei acciderint.

Dies quandoque noctem comprehendit.

Die, ac nocte.) Non plus hæc valent, quàm priore versu *tota die*, nam *dies* quandoque noctem comprehendit: interdum ut pars ponitur diei naturalis, & à nocte diversa. Mysticum est sumere cum Innocentio pro manifestis, & occultis pœnis. Alium ejusdem generis Augustinus habet sensum de Christo, & Judæis, Quæstionibus in Exodum f, ubi priora, & sequentia eodem tradit. Lege si vacat.

Phrases Scripturæ.

Gravata est super me manus tua.) Hieronym. in præsenti, *Gravatur*: quasi adhùc gravaretur, quum hæc scriberet. *Gravitas manus*, vel gravatio diuturnitatem simul, & acerbitatem pœnæ significat. Similis phrasis Psalmi trigesimi septimi g: *Confirmasti super me manum tuam*. Isti autem quum verbo *aggravandi* affinis occurrit alibi sepiùs, & *gravare* simpliciter positum eamdem vim habet etiam apud alios Auctores. *Aggravata est manus Domini super Azotios, & demolitus est eos* h; *Manus plaga mea aggravata est super gemitum meum* i, idest, Gravior est plaga, vel vehementia percussionis, quàm ut ullis valeam lamentis, & gemitibus demonstrare. Dicitur eadem ratione *aggravari jugum* k. Paraphrastes pro *manu* percussionem, plagamve posuit מחתר *machathach*.

Conversus sum in ærumna mea; dum configitur spina.) Locus obscurus, ac spinosus, & per se, & propter editionum diversitatem, Hieron. *versatus sum in miseria mea, quum exarserit æstas*: & alibi l: *Versatus sum in miseria, dum infigitur mihi spina*, item m: *Conversus sum in ærumna mea, dum infigitur mihi spina*. Alii n item ex Hebr. *Versus est viror meus in siccitate æstatis*, vel o, *immutatus est humor meus in siccitate æstatis*, vel p: *Conversa est, aut eversa pinguedo mea, & humidum meum in siccitates, aut cum siccitatibus æstatis*, vel q: *Conversum est agro meo in ariditatibus æstatis*: vel r, *Vertebatur succus meus in siccitatem æstivam*. Vel f: *Sic mutatus sum, ut ex succulento factus sim aridior, quàm sunt arista in media messe*. Chald. *Conversus est viror meus* רוטבי *rutebi in siccitatem æstatis*. Quasi dicat se macilentum factum, & exsiccatum, ac si positus esset ad radium Solis, æstate: succum atque humidum radicale exaruisse, ut solent æstate sata, agrique, exuri; exaruisse, ut loquitur etiam Lucas, de iis qui arescent præ timore judicii divini t; excoctum curis, ut vulgò loquimur, & morbis. Sic alibi t ait u David: *Ossa mea sicut cremium aruerunt*.

a In fragm. in Proverb. b Pr. 1. 3. c Ps. 62. 6. d c. 11. usque ad 8. inclusive. e 2. Reg. 12. 13. f Q. 154. g vers. 3. h 1. Reg. 5. 6. i Job. 23. 2. K Isa. 47. 6. 3 Reg. 12. 10. 14. l in cap. ult. Isa. m in c. 3. Ez. n Vatab Pagni. Cajet. o Felix. p Idem. q Arias. r Campensis. f Idem.

Hæc non solùm de corpore doloribus ac ægrimonia exhausto, verùm etiam de animo divinis muneribus, & consolatione vacuo, intelligi puto: quando per tempus illud impœnitentiæ David cum jactura gratiæ sanctificantis amisit quoque *adipem, & pinguedinem devotionis* x, prophetiæ donum, quod Basilius, *lumen oculorum*, de quo idem quæritur secum non fuisse z, interpretatur quæ omnia, hisque similia, restitui pœnitens flagitabat a: *Redde mihi lætitiam salutaris tui*. Idem Basilius b, ut ante me Toletus c observavit, elegantissimam ὑποτύπωσιν, seu ὑπόδειγμα habet hominis ex justitiæ statu, in peccati vastitatem solitudinemque dejecti, non potest aliis verbis aptiùs exprimi: Refert autem non parum ut omnium oculis subjiciatur, & præter morem tota hic recitetur, quum etiam personæ Auctoris nostri seipsum deflentis bellè conveniat. Explicans Isaiæ verba d, *Regionem vestram coram vobis alieni devorant*, ita scribit: *Desolatio, seu vastitas fit quum anima privatur iis, quibuscum versari ritè consuevit. Fit hoc per quam facilè circa humanam animam. Vide enim mihi tu juvenem quempiam a puero in splendida bysso intra ædes educatum* (videtur *ædes sacras* intelligere, & *byssum* innocentiam vitæ, ut innuunt ea quæ sequuntur) *alacriter, & studiosè ad orationes prodeuntem, nullum transmittentem beneficentiæ officium, æterni illius judicii memorem: jugiter acquiescentem sermoni doctrinæ: talem denique mihi considera in fornicationem prolapsum. Quonam pacto post abolitionem prioris continentiæ, post desolationem tantorum fructuum, deinceps miserabilem illum è proximo consequitur omnimoda eversio priorum laborum? Isthæc conscientia admissi facinoris non jam eum comitatur, ut se conferat ad orationis locum, quod nequaquam perstitit in officio, ordineque fidelium* [arcebantur namque à cœtu, & conventu Ecclesiæ fornicarii] *Excidit enim. Non item in tractu consistit eorum qui in arcano secessu deflent* (hi erant agentes publicam pœnitentiam) *illum enim suppudet. Fit hinc ad orationem cunctatio: his, qui caussam exquirunt, commenditias nectit excusationes. Respondet urgeri se ab uno aliquo, quare non item opperiatur horam communionis*, (quum omnes una communicabant, idest, percipiebant corpus Christi) *& ob hoc ante orationem se subducit, ut ne deprehendatur ejus simulatio. Deindè sensim contracta consuetudine illius mentis se inserit meditatio, ut ab abrepto proposito deficiat* (ordinis ne clericalis, aut Religiosi, aut Christianissimi, aut castè, ac innocenter vivendi?) *denique ad omnimodam perditionem per varios errorum anfractus abducitur*. Omnia ista sunt Basilii.

Elegans Basilii locus de nomine ex justitiæ statu in peccati vastitatem dejecti.

Sed præferenda versio nostra, quæ est etiam Lxx. quos pluris meritò facimus, quàm Hæbræos, & Hebraizantes, cujusmodi sunt præter nostri temporis Latinos recentes, Symmachus, Aquila, Theodotio, Catholicis infensi. Symmachus quidem vertit μετεστράφη μοι εἰς διαφθορὰν ὡς καῦσος θερινός: *conversum est mihi in corruptionem* (impersonaliter) aut *conversus est Deus corrumpens me sicut in siccitatem æstivam*, vel *sicut siccitas æstiva corrumpit*. Aquila: Ἐστράφην εἰς προνομήν μου ἐν ἐρημώσει θερείᾳ. *Versus sum in vastitatem meam in squalore æstivo*, nempè sicut in calore æstivo. Quinta editio: Ἐστράφη εἰς ταλαιπωρίαν ἐν τῷ ἐρημωθῆναι τὴν ὀπώραν *Versus est in miseriam, quum [illegible] fructuum*. Hebr. nunc legitur cum punctis נהפך לשדי בחרבני קיץ *nephach leschaddi becharbone Kaits*. Prima dictio est verbum conjugationis niphal הפך *haphac*, in tertia persona: ut idcircò reddiderit aliqui: *conversus est*, vel, *conversum est*: si autem pro pathach in fine notetur kemets, erit participium; poteritque servire primæ personæ, *conversus sum*: quo pacto est in editione nostra, & reddiderunt Lxx. ἐστράφην. Secunda, si sit

t c. 21. 26. u Ps. 103. 4. x Ps. 63. 6. y Hom. in Ps. 37. z Ps. 37. 11. a Ps. 50. 14. b in c. 1. Is. c Serm. 1. d c. 1. 7.

si sit simplex dictio cum affixo primæ personæ pro A nomine, significat, *viror, succus, humidum meum*, atque ita prima dictio sumi debebit, ut modò scribitur, tamquam verbum tertiæ personæ, idcircò exposuerint aliqui *conversus est viror, succus, humidum meum*: Si verò ' ... a pronomen affixum componatur ex præpositione ל *le*, quæ significat, *in*, aut ex articulo inserviente casui Accusativo, & ex nomine שד *schad, vastitas*, à שדי *schadai, vastare*, unde שדי *schaddai, fortis, omnipotens*, quod est etiam epithetum Dei aptè redditur: *conversus sum in ærumna mea*, vel versatus, idest, volutatus in miseria mea, & idem valet corruptio, vastitas, & similia. Eadem præterea simplex dictio שד cum puncto in sinistro cornu ש שד *sad, agrum* significat, quem posuit Arias in suo Commentario.

Tertia, ut nunc notatur punctis, nomen est pluralis numeri in regimine cum præpositione ב *be, in*, cujus singulare est חרבן *charbon* à radice חרב *charau arescere*, æstu confici, siccari à sole, igni, aut etiam gladio: significatque siccitatem, ariditatem, exarsionem. Posset B præterea esse verbum cum affixo primæ personę, & dicta præpositione בחרבני *bechorbeni* in *arescere*, exardescere, siccari me: vel in *desolare*, destruere, ac veluti gladio occidere me: videlicet si hæc recipiatur notio: & ultimæ sequentis dictionis pro *spina*, dum desolaret me, destrueret, occideret spina, quod fit per confixionem. Agellius existimat legisse Lxx. דרבני *darbone*, quia דרבן *darbon* est *stimulus boum*, quod iidem in Ecclesiaste *a* reddunt Βούκεντρον: & hos habita ratione ad rem significatam, pr..., *in stimulis spinæ* vertisse ἐν τῷ ἐμπαγῆναι ἄκανθαν, *Dum configitur spina*. Satis probabilis conjectura. Ultima קיץ *kaits æstatem* significat, ac *fructum æstivum*: *spinam* verò קוץ *kots* a verbo קוץ *kuts*, quod est tum, angustiis affici, affligi, &c. & æstivare. Septuaginta legerunt קוץ *kots*, & præcedentem dictionem vel nominaliter positam pro exarsionibus, vel verbaliter pro exardere, & destruere: & secundam pro vastitate, miseria, ærumna: & primam ut participium: atque ita totum locum converterunt passivè de C confixione spinæ loquentes: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina*, Ἐστράφην εἰς ταλαιπωρίαν ἐν τῷ ἐμπαγῆναί μοι ἄκανθαν.

a c. 12. 11.

Ex his paullo spinosiùs tractatis florem legimus sanè suavem, & salutarem, doctiorem, atque meliorem esse vulgatæ editionis, ac interpretum quoque Lxx. conversionem, quàm Hebræorum, & aliorum, quibus nimis bene olet putor ille Judaicus. Cur non aliquis ex hoc genere exposuit, conversus sum ad Deum, sic accipiendo לשדי *lischaddai*, ut est, quod antè dixi, unum de Dei nominibus? non debet libido tanta esse innovandi, & editionem nostram antiquissimam novis confictis antiquandi: præsertim quum hoc sit Hæreticis favere tam avidè occasionem arripientibus vellicandi interpretem nostrum. Calvino Lindanus *b* occurrit rejicientis nostram pro alia versione. Fecit id posteà Bellarminus *c* diligentiùs.

b de op. gen. interp. lib. 1. c 2. de Verbo Dei c. 13.

Apud Latinos puros putos nostros etiam antiquos nonnihil differentem lectionem ultimorum verborum reperio, *dum confringitur mihi spina*. Hoc pacto legit Psalterium Ambrosianum (quod Faber tribuit Romano; licèt Vaticanum hac in parte non discrepat à nostro) & Arnobius, atque Cassiodorus, meminitque, D Gregorius *d*, & Innocentius, & Remigius, ac satis innuit Hugo Cardinalis, & Thomas. Hi Patres, dempto Gregorio, & Arnobio, juxta hanc lectionem, & sumendo *spinam* pro dorsi osse, quod à collo descendit per totum dorsum, hominemque celsum tenet, ac erectum, ut eo fracto necesse sit hominem curvari, & declinari, explanant superbiam confringi tribulatione, atque vexatione; velleque Davidem dicere se tantis oppressum malis fuisse, ut pronus, & curvus incederet, haud secus, ac si dorso confractam spinam haberet.

d Hie & 20 Moral c. 12. vel 9.

Arnobius de Christo interpretans, *in cujus ore non erat dolus e* [sic enim legit pro, *in Spiritu*.] ait quòd mundus erat in sente positus, & in vulnere. Conversus verò est in ærumna, quia fracta est ejus spina (nimium, ut ego interpretor, à Christo spinis coronato *f*,) quæ libertatem cervicis, & capitis ejus sublimabat, videlicet ejusdem Christi: aut innuit conscissum dorsum flagris usque ad ossa.

e Isa. 53. 9. 1. Pet. 2. 22.
f Mat. c. 27. & alii Ev.

Gregorius verbo *confringendi* retento, & affirmativè dumtaxat sententiam legens, non item etiam negativè, ut ei Toletus *g* non benè tribuit, omittens in verbis Gregorii *sed configi: spinamque*, pro peccato positam *h* volens: ait significare tam diu afflixisse se ipsum, quo ad spina peccati, quæ ipsius animo infixa erat, per pœnitentiam confringeretur: quia spina infixa carni pungere non desinit, donec extrahatur: præterea non esse dorsi, licèt Latina *spina* vox dicatur, non tamen vel Græca ἄκανθα, vel Hebræa קוץ *kots*.

g Serm. 5.
h 20. Mor. c. 9. vel 12.

Jam ergo ut ad nostram, & communiorem accedamus editionem, satis quoque communis Patrum præcipuè Latinorum, expositio est, conversum Davidem ad Deum, & ad agendam pęnitentiam in ærumna sua, quando ipsum Deus tot agitabat calamitatibus, angoribus, doloribus, dumque configeretur spina, hoc est, dum extimularetur memoria peccatorum, hæcque pungeret; ac veluti lancinaret, & cruentaret conscientiam, efficiendo, ut agnosceret se adeò graviter puniri à Deo, propter peccata, ad eum B modum, quo post vexationem, quasi recepto intellectu *i*, fratres Josephi fassi sunt, meritò se tanta pati, quia peccassent in fratrem suum, & idcircò venisse super se istam tribulationem *k*. Sequitur eamdem explicandi rationem Hieronymus *l* in Ezechielem, dicens prodesse justo, (ei quoque qui justificari vult) intelligere delictum suum, conscientiæque tormentum. Bernardus *m* consentit. Remigigius in *spina* considerat præter stimulos conscientiæ, legis, & præceptorum Dei punctiones, dum prohibent, & minitantur. Gregorius *n ærumnam* pro contritione, & pœnitentiæ dolore accipit: Bernardus *o* pro pœnæ inflictione, quam alii in ærumna spectabant, ut eam sentiendo corrigeretur, & converteretur. Innocentius pro Spiritu timoris, ac sinteresi, vel pro peccato per consensum, & opus patrato, atque ita fixo. Augustinus, & cum illo Innocentius, *converti in ęrumna* dicunt esse, fieri, miserum, & inde effici, ut compungatur, conteraturque conscientia. Idem Augustinus *p* illos qui culpam agnoscunt, ait converti in arumna doloris, dum C configuntur spina recordationis peccati. Toletus *spinam* asserit esse reprehensionem Prophetæ Nathan; postquam in se reversus, & ad Deum conversus est; nam *Verba sapientium sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi q, & pungens oculum, deducit lacrymas: & qui pungit cor, profert sensum r*. Punctus, compunctus est, quia non pupugit solùm Nathan, sed infixit non lethalem, ut ille canit, arundinem, infixa manet lethalis arundo) sed vitalem spinam.

i Isa 28. 19.
k Gen. 42. 21.
l In c. 3.
m Serm. 36. in Cantica.
n lib. 3. in 1. Reg. c. 6. Ærumna ut sumatur.
o Serm. 48. in Cantica.
p De Utilitate Pœnit.
p Eccl. 12. 11.
r Eccl. 22. 24.

Basilius, Theodoretus, Euthymius, Nicephorus, nec non alicubi Chrysostomus *s*, & Procopius *t conversionem* non ad pœnitentiam, sed in miseriam interpretantur, εἰς ταλαιπωρίαν, ut in miseriam sit prolapsus David ob infixionem spinæ, hoc est, peccati, quod tamquam uvam dulcem produxerit, sed evaserit spina acriter pungens: quemadmodum, & eodem nomine Salvator *u*, iniquit Didymus, appellavit sollicitudines, divitias, voluptates. Perpendit porrò subtiliter Chrysostomus, peccatum non simpliciter penetrare, aut aliquo modo subire, sed infigi: & nisi penitus evellatur, ac totum (si tamen mortalia ex parte, & non D tota evelli possint: intelligit ergo effecta quædam, ut malos habitus, aut occasione, &c.) ipsum parum quod manet, facere dolorem, & postquam excidetur, per multum tempus plagæ dolorem relinqui, ac opus esse curatione multa, & medicina, ne sufficere evellere peccatum, sed etiam curari debere locum, qui percussus est.

s Hom. 10. in Epistolam ad Hebraeos.
t in c. 3. Ex.
u Luc. 9. 14.
Subtilis Chrysostomi loci expositio.

Mihi absque cujusquam præjudicio videtur hic sensus optimus, quem initio posui, & cui ex parte favere Patres ostendam, rationemq; ipsam, & qui placet Agellio, indicaturque à Genebrardo. Clamabam, & rugiebam tota die, quoniam gravante te super me manum tuam, ò Deus, jugiter versatus, ac volutatus, sum in ærũna, & calamitate mea, idq; etiam quando altiùs infigebatur per eamdem illam manum tuam, quæ veluti infixam relinquit spinam, aculeumque vindictæ, ut laniaret, atq; cruentaret corpus, & cor meum, quacumque me verterem, ut nonnihil mala remitterent, in ærumnam convertebar. Tale illud *x*: *Universum stratum ejus versasti*, הפכת *hapachtha*,) *in infirmitate ejus*, & *y*, Tan-

x Ps. 40. 4.
y Thren. 3. 3.

Tantùm, in me vertit, & convertit manum suam. Non A displicet Toleto: sed *conversionis* proprietatem retinendo, vult denotari non conversionem pœnitentis, quam tamen opinionem isti prefert: sed à statu valetudinis, & felicitatis in maxime calamitatis statum secundùm corpus, animumque. Hieron. juvat hanc expositionem, quum priùs membrum reddit: *versatus sum in miseria mea*, addendo posteriùs: (Quum exarserit æstas) tum etiam quando alibi *a*, eidem priori membro jungit istud, *dum infigitur mihi spina*.

a In cap. ult. Isaia.

Profectò *versari* non est converti, nec hoc ullibi significare invenitur Hæbræum verbum הפך *haphach*, vel נהפך *nephach*: sed ישה *jaschach* quod est *reverti*, vel aliud aliquod. Si autem reddatur *converti*, ut citato ex Threnis loco, idem valet quod revolvere, ac sæpiùs vertere. Augustinus præterea, ut dixi, & Innocentius, Græcique, *conversionem in ærumna*, vel, in ærumnam, ut in quibusdam codicibus Augustini legitur, Græcum εἰς ταλαιπωρίαν, declarant de lapsu in statum ærumnosum, & calamitosum. Posito autem sensu isto illius membri, quod sequitur. (*dum configi-* B *tur spina*) explicatum de stimulo conscientiæ, non ita cohęret; sed de stimulo vindictæ divinæ pungentis, fodicantis, nunc hoc, nunc aliud latus ferientis, tamquam bovis; denique, ut alio dicitur Psalmo *b sagittas suas infigentis, & confirmantis super illam manum suam*. Extimulatio verò conscientiæ non tam gignit ærumnam, quàm ex ea nascitur. Immò potiùs gaudium, lætitiamque parturit ob tacitam pollicitationem reconciliationis cum Deo. Fateor, conversioni ad Deum conferre plurimùm ærumnam, atque tribulationem, *vexatio namque dat intellectum c*. Hoc ponit Deus offendiculum coram peccatore *d*, ne ultra procedat: istis spinis sepit viam ejus, & maceria, ut semitas suas non inveniat *e*. Thedotio in secundo loco, qui est Ezechielis, *offendiculi* loco ponit infirmitatem, & Lxx. βάσανον *tormentum*, Ephraim frugifer fratrem habet, obliviosum Manassem; & pincerna succedentibus prosperis oblitus est Josephi conjectoris sui *f*. Evolat ille Ephraim de manu Dei *g*: latur redit demùm, quando famescit, sicut, & ad patrem prodigus filius *h*.

b Ps. 37. 3.
c Isa. 28. 19.
d Ezec. 3. 20
e Osea 2. 6.
f Gen. 40. 13.
g Osea 9. 11.
h Luca 15. 20. & seq.

—— *Ignota tantùm felicibus ara* i.

i Statius.
Spina nomen ut rectè conveniat peccato.

Quot de caussis peccato *spina* nomen rectè conveniat, demonstrat Hugo Cardinalis, & accuratiùs Gulielmus Pepinus, videlicet quia existit ex negligentia excolentis agrum *k*, quia inutilis, ac sine fructu, saltem alicujus pretii *l*, & qui legitur flos delectationis, citò marcescit, quia ignis æterni aptissima materia *m*; quia suffocat bonam sementem *n*, præsertim si sit luxuria: quia pungit: eoque magis, quò invalescit, quia implicat, & innectit. Verùm tropologiæ ista sunt propria, quam attigisse satis. Eadem verò spectant, quæ priùs dicta sunt, ex nonnullis, potissimum ex Chrysostomo *o*. In fine versus est סלה *selah*, quod Hieronymus reddit *semper*, Chaldæus *in secula*. Sed alibi de hac voce satis.

k Prov. 24. 30. 31.
l Sap. 4. 3. & seq. Deut. 32. 32.
m Isa. 35. 11. 12.
n Luc. 6. 4.
o Hom. 10. in Epist ad Hebraeos.

Vers. 5.) Delictum meum cognitum tibi feci: & injustitiam meam non abscondi.

Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

TAntæ, quas sum passus, ærumnæ, compulerunt cognoscentem ex peccatis, mihi, & ex impœnitentia illas provenire, ut non amplius dissimularem, tergiversarer, celarem peccata mea; sed agnoscens, & damnans, illa apud te, quem minimè latere poterant, exponerem, rerumque me confiterer, tamquam apud judicem, qui me ipsum conviceras testimonio plus mille testibus fide digno, conscientiæ meæ, & veluti tormentis in questione, veritatis confessionem extorseras *p*. Tu verò statim ut proposui aperiri me tibi, prævenisti confessionem, miserendo, & parcendo. Id accidit, quando vix dum incoata confessione; ad primum verbum, *Peccavi Domine*, filo orationis ejus interrupto, Natham subjunxit *q*: *Dominus quoque transtulit* A *peccatum tuum: non morieris*. Videns ergo David tam citam veniam, argumentatus est præcessisse jam remissionem peccati, antequam confiteretur, sed non antequam interiùs contereretur, paratusque esset ad satisfaciendum; hæc autem in animo Davidis versabantur, quum verbis multis Nathan exprobrantem peccatum patienter audiebat, & ferebat, vel fortassis etiam aliquanto antè conceperat pœnitentiam istam: tempore, quum Deo visum est opportunum, misit ad illum prophetam, qui, & exprobando acueret adhùc magis dolorem pœnitentiæ; & veniam denuntiando, mitigaret acerbitatem doloris.

p 2. Reg. 12. 13.
q Ibid.

Delictum meum cognitum tibi feci.) Hieron. *Peccatum meum notum faciam tibi*. Augustinus, & Victor Episcopus Cartennæ in Africa *r*: *Peccatum meum cognovi*, vel *scivi*. Græcum verbum ἐγνώρισα, & *novi*, & *cognitum feci* significat: hoc autem omnino addendo σοί, *tibi*, quod Græci patres ferè omnes habent, licèt in codicibus Bibliorum desit. De Hebræo textu non potest ambigi, quin id totum valet אודיעך B *odihhaha*. Pro delicto est חטאה *chataah*, quod erat in Psalmi primo versu: Grecè ibidem ἁμαρτία, hìc ἀνομία. Ex quo intelligitur, quod ibidem quoque notatum est, uti Lxx. variis vocibus Græcis tamquam synonymis, & judicare tales esse Hebræas. Quapropter nec laborandum cum Remigio, Ruffino, Hugone Cardinali, Gregorio, Innocentio, Castro, Toleto, ut afferatur discrimen inter *delictum*, & *injustitiam*, quasi illud sit omisio, istud commissio: de quibus mentio est in Levitico *s*, tametsi sub aliis nominibus Hebræis. De vocibus aliquid egimus Psalmo decimo octavo *t*. De defferentia verò inter delictum, & peccatum אשם *ascham*, & חטאה *chataah*, Ribera *u* noster, cui placet, *delictum* per imprudentiam, *peccatum*, scienter commiti; non autem esse omissionem, & commissionem; aut minorem, & graviorem culpam: aut cogitationis, & operis. Ait *x* tamen etiam interdum culpam ex ignorantia, vocari peccatum, si sit ignorantia facti: delictum, si ignorantia, vel oblivio legis, jurisve.

r lib. de Pœnit. c. 8. apud Ambrosium. Tom. 5. Editionis Romanæ.
s c. 6. & 7.
t v. 13. 14.
u 4. de Templo c. 6. n. 26. & seq.
Differentia inter peccatum & delictum.
x Num. 28.

Idem Innocentius in hoc versu toto sex observat bo- C næ confessionis conditiones, ut sit perfecta, complectendo cuncta genera peccatorum: ut cauta: ut ex certo mentis proposito, quod indicat (*Dixi*, &c.) ut humilis, *adversum me*) ut discreta de propriis tantùm, non de alienis culpis: ut devota, nempè ipsi Deo facta: ut efficax, quia remissionem impetrat. Hugo Cardinalis annotat integritatem, præmeditationem, vanitatem, accusationem, eamque de suismet peccatis, vim satisfactoriam. Indicavi, recurre ad fontes, si concupiscis.

Virtutes, ac benefacta in confessione detegi possunt, debentque, si quis de illis superbè gloriatus est, propter ingratitudinem: ad exprimendam peccati gravitatem, quòd ex tanta perfectione virtutis in tantam peccati lapsus sit miseriam. Si quis ambigat nunc sint virtutes, nec ne, atque vereatur, ne Dæmon illudat, & decipiat. Delicti generalis vox docet omnia penitus mortalia peccata necessariò confitenda, etiam interna, & in sola D mente latentia, de quibus id hinc ita colligit Origenes *y*: quamvis etiam de venialibus utilis admodum confessio sit. Quum, *meum*, dicit, indicit de alienis silentium, nisi adeò sint cum propriis conjuncta, ut hæc nulla ratione valeant exprimi sine istis, cujusmodi est incestus filii cum matre, cum filia, &c. ut hoc loco admonet Innocentius.

y Hom. 3. & 17. in Levit.

Cognitum facere Sacerdoti pro Deo, est distinctè, ac sigillatim cuncta exponere, ne qua desit circumstantia necessaria, non numerus prætereatur, quoad ejus fieri potest. Gregorius affirmat plus esse *delictum cognitum facere*, quàm manifestare: hoc esse omnem peccati caussam, & originem narrare, non superficie tenus, sed, & quando, & ubi quomodo: & si vel ignorantia, vel casu, vel studio deliqueris, confiteri. Hac tota de re optimè decernitur in Concilio Tridentino *z*: tametsi de solis peccati speciem mutantibus circumstantiis disertè mentio fit: docet autem dicto modo confiteri, esse divinæ misericordiæ agnoscenda peccata exponere. Sciebat David Deum scire insipientiam ipsius, & delicta ipsius ab illo non esse abscondita *a*: Cognita igitur eidem facit, non tam-

Delictum cognitum facere, plus quam manifestare.
z Sess. 14. c. 5
a Ps. 68. 6.

tamquam privata, ut ita dicam, scientia cognoscenti; sed sicut judici, ut sententiam de reo pronuntiet: quæ semper absolvit, quemdamodum dicebam versu tertio ad ea verba *quoniam tacui*; si quis rectè confiteatur, ut debet. Quamquam, quod tunc quoque dixi, repeto, non intelligere Davidem de confessione sacramentali, externa, auriculari: etiamsi aptè ad istam, quæ hic dicuntur, valeant accomodari: de quo item per accommodationis videlicet sensum præter antea citatum Originem, præterque Tharasium Constantinopolitanum *a*, Cyrillum Jerosolimitanum *b*, Alcuinum *c*, Chrysostomus *d* eumdem hunc, & alios intelligit, satis alibi *e* significans de illa solùm, quæ apud Deum est, per se intelligendos. Id ipsum ad Algasiam *f*, Hieronymus insinuat; licet quod negat de seipso Davidem loqui sub persona propria, sed pœnitentis, non probo, nec satis idoneam cum hac in re excusandi, rationem invenio, quia tantumdem de Daniele *g* scribit, dicente, *Pecavimus iniquè egimus*, &c. quem, inquit, justum fuisse novimus.

Multo majore periculo error committitur, si quis hinc inferat, ut & ex sequentibus verbis: *Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino*. Satis nunc etiam esse in lege Evangelica, si quis Deo confiteatur, & non homini Sacerdoti, ne secretò quidem, & auriculariter, ut dicunt. Verum est quod Cassianus *h* scripsit, non esse qui non possit Deo suppliciter dicere: *Peccatum meum cognitum tibi feci*, ut per hanc confessionem etiam illud subjungere mereatur: *Et tu remisisti impietatem peccati mei*. At de solenni, & publica confessione loquitur, quam præceptor ejus Chrysostomus sustulit exemplo Nectarii, aut qui occultè peccavissent, ad eam adigere noluit: lege Sixtum *i* Senensem, & Historiam Tripartitam *k*, & Annotationem XXII. *l* Cassianum, & Taperum, & Bellarminum *m*.

In justitiam meam non abscondi.) Hieron. *iniquitatem meam non abscondi*. Augustinus, & Victor Afer aliquoties citatus: *Iniquitatem meam non operui*. Cassiodorus, & alii: *In justitiam meam non operui*. Gregorius legens *In justitias* in plurali, de internis videtur peccatis exponere. Idem pluribus modis repetitur. Per negationis autem formulam κατὰ τὴν λιτότητα plus exprimitur, quàm per affirmationem præcedentem, quemadmodum *n*: *Et confessus est, & non negavit*: item *o*, *Confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas*. De variis operimenti modis Innocentius.

Dixi confitebor.) Cassianus *p*, Hieron. *q*, Augustin. *r*, Psaterium Romanum, Gregorius, & alii, *Pronuntiabo*, Psalterium Ambrosianum, [eloquar,] Græcè ἐξαγορεύσω. *Dicere* idem hic est, quod deliberatè proponere, decernere, constituere. Sic alibi *s*: *Dixi custodiam vias meas*: *Dixi t nunc cœpi*, *Dixi u custodite legem tuam*. Hoc ipsum *dicere*, inquit Augustinus, pronuntiare est, quod repetit Auctor de salutaribus documentis *x*: Quòd *delictum meum cognitum tibi feci*, quòd *injustitias meas non abscondi*, non fuit ex necessitate, ait Gregorius, verbis Davidis, vel alicujus levitatis occasione, sed ex pœnitendi, & confitendi præmeditatione: nam *dixi*, idest, in corde meo constitui. Paratus accedere debet, qui confiteri vult, nec à Confessario tamquam ab ariolo, ut Nabuchodonosor somnium quod erat oblitus *y*, exigere, ut ipsius divinet peccata. Promptitudinem, & alacritatem confitentis notat in his quoque verbis Bernadus *z*. Hoc decretum fecit David, audiens accusantem, quamvis tectè, ac sub tertia persona, Nathan Prophetam, satis asperè prolixeque noluit succensere, ingenuè, apertè, humiliter confiteri. Ille regio clarus imperio, tot divinis probatus oraculis, inquit Ambrosius *a*, quum à privato homine corriperetur, quòd graviter deliquisset, non indignatus infremuit, sed confessus ingemuit culpæ dolore. Denique Dominum *b* dolor intimi movit affectus, ut Nathan diceret: *Quoniam pœnituit te, & Dominus abstulit peccatum tuum*. Maturitas itaque veniæ profundam regis fuisse pœnitentiam declaravit, quæ tanti erroris offensam traduxerit. Nec modò tunc verbis fateri peccatum proposuit, sed præterea scripto, ut omnem præcipuè iniquorum posteritatem doceret *c*, tamquam sedens in cathedra sapientissimus princeps *d*. Quin etiam voluit externa confessione, sacrificioque, per legem præscriptis, satisfacere, ut dicemus, dixit in futuro, *Confi-*

a Ep Syndic. Tom. 1. Conciliorum, pag. 452. b Catech. 3. c Ep 26. apud Henr. Canisium Tom. 1. Antiq. lect. d Hom. 9. in Ep. ad Heb. e Hom. 6. in Joan. f Ep. 151. q. 7. g Dan. 3. 29. c. 9. 5. 15. 15. Ps. 105. 5. 3. Reg 8. 47. & alibi. h Coll. 20. i lib. 5. Annot. 49. k lib 9. c. 35. l lib. 9. c. 35. m Art. 5. cont. Calvinum.

n 3. de Pœn. c. 15. o Joan. 1. 20. p Josue 7. 19. q Supra. r 1. 2. cont. Pelag. s Hic, & de Salut. docu. c. 56. t Ps. 38. 2. u Ps. 76. 11. x Ps 118. 57. y c. 56. apud Aug. Tom. 4. z Dan. 2. 3. & seq. Bernardi observatio hoc loco. a Serm. 3. de S. Andrea. b Apolog 1. David c. 2. c 2. Reg. 12. 13. d Ps. quinq. tese.

tebor, qui jam interiùs cognitum fecerat Deo delictum. *Tollite nobiscum verba*, inquit Oseas *e*, *& convertimini ad Dominum, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem*, &c. quem locum Chaldæus paraphrastes, & Hieron. de Confessione interpretantur. Saul dixit *f*, *Peccavi*, sicut David, sed quia non dixit antequam diceret, idest, quia non ex animo, & certo mentis proposito, non audivit, *Dominus transtulit peccatum tuum*, sed, *transtulit regnum tuum*. Quod Saul habuit in ore, non fuit in corde, & humilitas, quæ in ore David extit, in corde etiam radiavit, inquit *g* Bernardus: ubi addit, Quia non fuit fidelis Caini *h*, Judæque confessio *i*, nihil profuisse, quòd se peccavisse purè alioqui, & humiliter pronuntiaverint. Refert Genebrardus ex Rab. Aben Ezra hoc loco, & ex aliis Rabbinis in historiam Regnum *k*, & ex libro Siphri, præscriptam olim in lege, vetere confitendi obligationem, hoc ritu, ut fieret coram Sacerdote, ut imponeret confitens manus inter cornua hostiæ immolandæ, ut distinctè commemoraret peccatum, de quo pœnitentiam agebat, ut peccatum detestaretur, pollicens non ampliùs peccatorum. Scripturæ non meminerunt clarè confessionis alteriùs, quàm quæ à Sacerdote semel in anno fiebat, nomine populi totius imponendo utramque manum super caput hirci, quem mox emittebat in desertum *l*: de quo confessionis ritu Abulensis *m*.

Nihilominus indicatur confessio etiam de secretis, in libro Levitici *n*, & Numerorum *o*: atque Josephus *p*, conceptis verbis de sacrificio scribit, pro illo, qui sciens peccavisset nemine conscio. Consule Riberam *q* nostrum, qui bene quoque demonstrat *r* contra Abulensem, si de peccato Pontificis agatur, vel populi, non intelligi id solùm, quod sit contra ceremonialia præcepta, sed etiam contra Decalogum ipsum. Turrianus *s* præterea item noster diligenter comparat cum sacramentali confessionem illam. Thomas VValdensis *t* refert se ab ipsimet Judæis Viennæ in Austria didicisse solitos confiteri de peccatis apud Sacerdotem potissimùm in tribus casibus, in privato adulterio, in homidio occulto, in occulta blasphemia Dei; aut legis: à Sacerdote *u* propriam pœnitentiam imponi. En duo Davidis nostris peccata occulta, adulterii, & homicidii, propter quæ postea fecit blasphemare, inimicos Domini.

S. Antoninus *x* hunc Psalmi nostri locum de Sacramentali confessione accipiens, testatur asservisse aliquos ex Hebræis bene peritis, quòd quum reperiunt Sacerdotem Levitici generis, confitentur vocaliter ei peccata sine ante mortem. In Midras Thehillim, idest, expositione Psalmorum, titulus Psalmi nonagesimi noni, secundùm Hebræos centesimi, *Psalmus David in confessione*, declaratur de confessione peccatorum, confirmaturque tum hoc exemplo Davidis, tum contrario Saulis *y*, tum testimonio ex Proverbiis *z*. *Qui abscondit scelera sua* (sicut Saul) *non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & relinquerit ea* (sicut David) *misericordiam consequetur*. Citat locum illum & Midras Thehillium Galatinus *a*, & alium ex Berescit ketanna, idest, expositione minore libri Genesis *b*, & ex libro Sanhedrin Jerosolymitano *c*, & ex libro Joma, idest, dierum. Andreas item Masius *d* ex Sanhedrim, & ex Thalmud *e*.

Extitit apud Gentiles ejusdem Confessionis vestigium aliquod. Apud Lacedæmonas, teste Plutarcho *f*, dum scribit de Antalcida, & Lysandro, jussis ut initiarentur crimina sua fateri: & si quis in delicto deprehenderetur, debuisse aram circuire, & compositam in seipsum vituperationem cantare. Ferunt ætate nostra in Indiæ Occidentalis provincia Nicaragua repertos Sacerdotes destinatos audiendis confessionibus, & imponendis pœnis, eisque, & revelare peccata, & uxores ducere, quod aliis licet ibi Sacerdotibus, nefas esse: Scribit hac de re Joseph Acosta *g*. Habent & Mahumetani confessionis modum nonnullum.

Adversum me in justitiam meam Domino. Augustin. Psalterium Romanum, & alii, *injustitias*. Hieron. *scelus*. Est פשע *peschahh*, & ἀνομία. Etsi quidem legas פשעי *peschahhai*, et it pluralis, quo nunc extat: si פשעי *peschahhi* singularis, quomodo legerunt Lxx.

e 2. Reg. 13. 3. f c. 14. 3. g 1. Reg. 15. 30. h Serm. 3. de S. Andrea. i Gen. 4. 13. & seq. k 2. Reg. 12. per totum caput. l Lev. 16. 21. m Ibid. q. 23. & seq. n c. 6. 12. o c. 5. 6. p 3. Antiq. c. 10. q 4. de Templo c. 6. n. 17. r Num. 4. & seq. s 3. de Dog. Charact. t Tom. 2. cap. 137. num. 7. In tribus potissimùm casibus Judæorum confessio apud Sacerdotem. u 2. Reg. 12. 14. x 3. p. Summa Theolog. tit. 14. c. 9. § 1. Hebræorum confessio ante mortem. y 1. Reg. 15. 24. z c. 28. 13. a lib. 10. c. 3. b In cap. 40. vers. 8. Iuda, te laudabunt c cap. 6. d In c. 7. Josue vers. 19. e c Eleaz. Gentilium confessio. f De Inst. Laconicis n. 422. & in Apophtegm. Lacon. num. 384. & 407. Sacerdotes in India Occidentali audiendis confessionibus destinati. g 6. de Proc. Ind. salute c. 14.

Lxx. Seipsum quivis accusare debet, non Deum, Diabolum, astra, fatum, casum, fortunam: non infirmitatem carnis, corporisve constitutionem: non alterius consilium, suasionem, impulsum, exemplum, Augustinus, Gregorius, Innocentius, Remigius, Ruffinus, invehuntur in eos, qui reiiciunt culpam in Deum, stellas, fatum, excusationes adhibentes ad peccata *a*, cum operantibus iniquitatem, idest, iniquum facientibus, hac ratione Deum conditorem stellarum: & monet Augustinus, ut libero peccans arbitrio imitetur Davidem alibi dicentem *b*: *Ego dixi*: (Ego, non fatum, non fortuna, non Diabolus, quia nec ipse cogit, sed ego persuadenti consensi) *miserere mei: sana animam meam, quia peccavi tibi*. Adde disertam ejusdem aliam confessionem *c*: *Ego sum qui peccavi, ego iniquè egi*: Adiice prætereà Job *d*: *Dimittam adversum me eloquium meum, dicam Deo: Noli me condemnare; & ponam coram eo judicium, & os meum replebo increpationibus*.

Ab Adamo, & Eva didicimus peccatum elevare, totum vel partem in alium transcribere.

Quod legimus *adversum me*, Hebraicè, est עלי *hhale*, quod pro על *hhal*, sumendo cum Vatablo, Felice, Cajetano, & aliis, idem valet quod (super) estque sensus: Confitebor super transgressionibus meis, vel transgressione mea: quod idem est, atque simpliciter confiteri ipsas transgressiones, aut transgressionem, injustitiam, scelus, &c. Hieron. particulum illam non expressit, *Confitebor scelus meum*. Quod legamus עלי *hhalai*, *supra me*, tunc existet interpretatio Lxx. κατ' ἐμοῦ *adversum me*, vel, ut dixi, *supra me*, quasi dicat, onus peccati supra me imponam, culpam omnem mihi imponens, onere pœnæ me dignum judicans. Huic notioni respondet id quod sequitur: *Et tu remisisti*, &c. Hebraicè נשאת *nasatha*, *sustulisti*, velut onus humeris tui portans: & quod Nathan dixit *e*, transire faciens ab humeris David in proprios suos. Dum Saul peccavisse fassus est, dixit Samueli: *Sed nunc porta quaso peccatum meum* f שא *sa* ἆρον. Videtur David quodammodò memor historiæ Saul, aut certè contrario spiritu impulsus in confitendo peccato, contrariam penitùs rationem secutus: quemadmodum & Sauli, quòd antè dixi, Samuel respondit, scissum esse ab ipso regnum, humeris nempè ipso melioris Davidis imponendum, & Davidi Nathan translatum esse peccatum *g*. Innuebat illa formula *peccatum transferendi*; Agnum Dei, qui debebat *tollere*, idest, auferre, & ferre supra se, αἴρων, *peccata mundi* h, sicut & hircus emissus in terram solitariam, portans omnium iniquitates *i*.

Domino.) Qui homini confitetur vices Domini gerenti, Domino confiteri censetur, ut maximè in lege Evangelica, in qua Domini data potestas absolvendi, & remittendi peccata *k*. Anastasius Antiochenus, quem Turrianus *l* citat ex libro variarum quæstionum, disputans in eos, qui negabant, homini simili nobis confitendum, hoc inter alia facit argumentum, quod dixit David: *Confitebor adversum me injustitiam meam Domino*. Domino enim, inquit, confitebatur per Nathan, & à Domino convertebatur per eumdem. Subdit ex Psalmo CXVIII. *m* aliter legens quàm nos: *Convertant me, qui timent te, & qui cognoscunt testimonia tua*. Reverentiam, & humilitatem exigit à pœnitente, atque confitente, quòd se Domino sciat confiteri, quum homini confitetur. Præter alios noster etiam Salmeron *n* in omnibus istis annotat Confessionis conditiones septem.

Et tu remisisti impietatem peccati mei.) Pro *imbietate* Hieronymus *iniquitatem*; pro *peccati mei*, Ambrosius *o*, qui legit *impietates*, Hieron. *p*, item Augustin. *q*, Cassiodorus, Innocentius, alii, & Psalterium Romanum, atque Ambrosianum, *cordis mei*: & ita est Græcè τῆς καρδίας μου. Theodoretus legit τὴν ἀσέβειαν ἁμαρτίας, *impietatem peccati*. Aquila ἀνομίαν ἁμαρτίας, *iniquitatem peccati*. Theodotio, ἁμαρτίαν τῆς ἀσεβείας, *peccatum iniquitatis*. Symmachus, quem laudat, ac sequitur Eusebius: Ἵνα σὺ ἀφέλῃς τὴν ἁμαρτίαν μου. *Ut tu auferas peccatum meum*, vel τὴν ἀνομίαν ἁμαρτίας *iniquum peccatum*. *Cordis peccatum* Cassiodorus ait esse impœnitentiam priorem, ac retinentiam peccati. Alii significari docent radicem peccati cor esse. Verùm juxta versionem nostram *impietas peccati* idem est ad im-

a Ps. 140. 4. b Ps. 40. 5. c 2. Reg. ult. 17. d c. 10. 1. 2. e 2. Reg. 12. 13. f 1. Reg. 15. 25. g 2. Reg. 12. 13. h Joan. 1. 29. i Lev. 16. 21. 22. K Joa. 20. 23. Matth. 16. 19. c. 18. 18. Anastasii Antiocheni. Disputatio in negantes, homini simili nobis confitendum. l lib 3. de Dogm. charact. m vers. 79. n Tom. 11. Tract. 21. Confessionis conditiones sept. o 1. de Jacob c. 6. p 2. cont. Pelag. & Ep. 46. q 1. Confess c. 5. & hoc loco. Cordis peccatum quid sit.

pium peccatum, & Synonymas voces esse, ut aliquoties monui, suadent tùm Hebrææ sine delectu permixtæ, tùm Græcæ tot modis variatæ. Quapropter nec impœnitentiam, nec excusationem, seu asconsionem, & superbiam, peccati non confessi, ut sentit Ruffinus, Remigius, Bruno, Ricardus Pampolitano, Haymo, Ludolphus: nec excessum pœnæ debitæ peccato, ut Theodoretus: nec culpam, sed non totam pœnam, ut Toletus: nec ipsam radicem qu que malitiæ pravam intentionem, ac propensionem mentis, ut Gregorius: sed quum Rikelio, Vatablo, Jansenio, & aliis sensu simpliciore impium, & iniquum peccatum impietatem peccato commissam intelligo, sic per exaggerationem propriæ malitiæ dictam, non habita ratione impietatis propriè sumptæ, quam Hebræa nomina non important עון חטאתי *hhauon chatathi*, nec aliquæ ex allatis versionibus Græcis.

Observant hic omnes autem promptam, facilem, eximiam Dei benignitatem, misericordiamque in parcendo, ut quum vox in ore nondùm esset, auris Dei jam in corde pœnitentis esset: confitentis desiderium comitaretur venia, antequam ad cruciatum perveniret pœnitentia. Sic præsertim Augustinus, & Gregorius. Valet ad hoc similitudo de Leprosis, qui dum irent ad Sacerdotes, mundati sunt *r*: *fieri enim possunt digni venia pœnitens ex desiderio sacerdotis*, ut ait August. *s*. Sed sine dubio in corde Davidis præcessit, & in corde cujusvis alterius ad obtinendam veniam precedere contritio debet vera, & propositum præstandi quidquid exigit veniæ largior. Inter quæ in lege Evangelica confessio sacramentalis est cum satisfactione.

Confessionis istius necessitatem, utilitatemque multiplicem exponerem, nisi & ipso experimento compertissima esset, & nisi hanc de illa locum propriè non esse scirem. Per eam divinæ injuriæ satisfit meliùs, homini se, vices gerenti Dei, humiliter atque verecundè subdendo: ita fit, ut sacramenti susceptione, debiti doloris quantitatem suppleamus, à peccandi libertate retrahamur: alteri alteros exemplo ad pœnitendum provocemus: sana consilia capiamus: damna etiam externa vel non inferamus, vel non referamus, vel non patiamur, vel sarciamus. Petrum Clemens *t* memorat [si non Clemens Peruetus alius] inter alia documenta, hæc edisse, *Actus vitæ suæ omni hora custodire: In omni loco Deum respicere: Firmiter scire cogitationes malas cordi suo advenientes, mox ad Christum allidere, & Sacerdotibus Domini manifestare*. Tanta, etiam civiliter loquendo, existit ex peccatorum confessione utilitas, ut quod se præsente factum Dominicus Soto *u* narrat Norimbergenses per legatos à Carolo V. postulaverint Imperatorio jure confessionem auriculare indici: se namque usu comperisse, postquam illa cessaverat, Rempublicam suam vitiis contra justitiam, virtutesque alias abundavisse. Visi tamen meritò sunt ab Imperatore legati, quod vim sacerdotalis absolutionis negarent: homines ad vera fatendum divino jussu compelli non concederent: postremò quod qui non confiterentur, quum id ignoscere Prætor nequiret, pœnarum humana lege propositarum cogi minis non possent. Magis mirum, & deplorandum, sublatum à Græcis confessionis usum, licèt non ab omnibus. In Concilio quidem Florentino Eugenius IV. Græcis objecit *cur vestri Sacerdotes, & Pontifices non confitentur?*

Porrò, ut dicebam non dixisse, *Confitebor*, satis per se est, nec adeò facilis venia præcipuè post baptimum: *Multo opus est fletu*, inquit qui dicitur Eusebius Emisenus *x*, reverà Latinus Auctor, vel Faustus Rhegiensis, vel alius, *multo gemitu, multo dolore cordis ad sanandos ipsius cordis dolore: tota incumbendum est spiritus contritione, ut vetusta mala tamquam sagitta quadam de conscientia debellentur. Non sufficit summis labis dicere: Peccavi, parce, remitte, & Saul dicebat* y, *Peccavi*, &c. Pacianus *z*, laborem istum paucorum affirmat, qui post casum resurgunt, qui post vulnera convalescunt, qui lacrymosis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu reviviscunt.

Attamen apud Catholicos nemo dubitat nunc quod sciam, per contritionem, peccatorem justificari, sive illa præsente gratiam infundi. Superioribus annis Michael Bajus *a* pro Catholico habitus, licet ejus aliquot

pro-

r Luc 17. 14. s lib. de vera & falsa pœnitent. c. 11. t Epist. 1. ad Iacobum fra. Domin. non procul in fine. Petri pia documenta. u 4. D. 18. q. 1. a. 1. Norimbergensium à Caro V. per legatos postulatio. Confessionis usus à Græcis sublatus. x Hom. 5. ad Monachos. y 1. Reg. 15. 24. z epist. 1. Catholicorum senten[...] de p[...] [...]